

MEMORIALE

GVILIELMI VENTVRAE

CIVIS ASTENSIS

DE GESTIS CIVIVM ASTENSIVM

ET PLVRIVM ALIORVM

*Incipit Memoriale Guilielmi Venturae civis Astensis
de gestis civium Astensium et plurium aliorum ⁽¹⁾.*

CAPVT I.

De flagello quod batimentum vocatum est.

Anno mclxl, ego Gulielmus Ventura, civis Ast, vidi signa in sole et luna et stellis, et in terris pressuram gentium. In diebus meis vidi, prout scriptum est in hoc libro, *obscurari* (2) solem et lunam, et mirabilem stellam comatam, vidi pressuram *hominum* (3) omni tempore; vidi et videbit omnis homo *videns* (4) dum vivat.

mclxl. Admirabilis Lombardorum facta est commotio, quae batimentum vocatur. Tunc enim haeremitae, exeuntes de *spelonchis* (5) suis, ad civitates venerunt, evangelium praedicantes, sicut praedicavit in Ninive Ionas propheta, et dicebant: *poenitentiam agite, appropinquat enim regnum Dei*: tunc omnes viri, a maiore usque ad minorem, pergentes *nudi* (6) per civitates et loca, suos humeros fortiter flagellabant flagellis, taliter ut inde sanguis exiret. Quidam autem Vercellenses venerunt Ast, induti saccis, et humeri eorum nudi erant, quos

a fortiter flagellis flagellabant; quibus tunc conspectis (1), Astenses, pro maiori parte, euntes nudi post eos, per civitatem et burgos ibant flagellantes se: episcopus Astensis et omnis clerus, tam praebendati, quam religiosi, praecedebant eos, crucis portantes, psalmos et hymnos canentes, portantes nova vexilla cum *imaginibus* (2) Sanctorum, et in viis publicis omnes flexis genibus alta voce clamabant dicentes: *misericordia et pax nobis fiat*; et istud batimentum inceptum fuit de mense decembris, et tunc hiems frigidissima fuit, et *maxima nix terram cooperuit* (3). In diebus illis multa, male ablata, fuerunt restituta, et multae discordiae pacificatae fuerunt.

CAPVT II.

De Acelino (4) de Romano viro crudelissimo.

Acelinus (5) de Romano tyrannus perfidus antequam haec fierent (6) regnaverat in pessimis

(1) Murat. et Salvaius. *illorum*.
(2) Murat., Salvaius et Cod. Taur. *observavi*
(3) Murat. et Salvaius. *gentium*
(4) Murat., Salvaius et Cod. Taur. *vivens*
(5) Murat., Salvaius et Cod. Taur. *sepulcris*
(6) Murat. et Cod. Taur. *vidi*

(1) Haec desunt in Muratorio et Salvaio.
(2) Murat., Salvaius et Cod. Taur. *figuris*
(3) Murat., Salvaius et Cod. Taur. *et copia nivis in terra erat*.
(4) Murat. *Eccelino*
(5) Murat. *Eccelinus*
(6) Murat. et Salvaius addunt (*videlicet anno MCCLVII, qui iam*)

operibus, sed nolui *quod actus eius scripti essent* (1) a in principio huius libri. Quia non est auditum a saeculo similis Acelino praedicto, qui subiugabat Paduam et Marcham, Veronam (2), Mantuam, Brisciam et alias plures circumstantes civitates et loca, « (3) *et hic crudelissimus tyrannus, monstrum humani generis, pestis mundi, horridus erat aspectu, iniucundus in loquendo, terribilis, oculis viperinis, in incedendo superbus et elatus, ira semper fremens, omnes non modo verbis, sed solo intuitu terrore replebat. Hoc solum laudabile in eo fuit, quia mulieribus omnibus abstinuit; lenones, meretrices, fures et proditores praecipuo odio est insequutus.* » Caeterum ex eius malis operibus aliqua vobis scribam: vidi multos viros et mulieres trans-
euntes per Ast, quibus oculos erui fecit, et mulieribus eradicare mamillas, et infantes eorum lactantes abacinari, ita ut lucem videre non possent. Alios vero vidi, quibus unum oculum, nasum et linguam, manum unam, et unum pedem truncari fecit: et cum interrogati fuissent quare haec passi fuerant, dicebant: quod *ex peccato primigeniti, sive maioris eorum* (4), ita puniti fuerant. « *Referebant etiam plura alia crudelitatis genera, dicentes, ipsum prius raptatos, postea capite truncatos in frusta se inde fecisse Iulium Lampionem et Pellegrinum de Conselve mercatorem, eo quod crudelitates eius adversus nobiles detestarent; Almericum etiam de Todio, proditoris accusatum, cum in tortura mortuus esset, sic mortuum capite truncari fecisse; itemque etiam fecisse multos decapitari* c *propter levem suspicionem, quod fecit itemque Mathaeo de Almirseda* (5), *et Thomae de Capite-Nigro* ». Quadam die (6), dum dictus Acelinus esset in exercitu, et cum eo essent viri de Padua bellatores *ammati plusquam decem millibus* (7), tunc Paduani, qui domi remanserant, facti sunt rebelles Acellino praedicto. Quo audito, Acellinus, furore succensus, « *quia videbat in Padua esse legatum Papae, etiam cum Azzone marchione Estensi, et ob id nullum eius recuperandae civitatis modum videbat* », interfecit gladio omnes praedictos viros Paduae, qui in eius obsequio venerant, taliter quod nullus eorum vivus remansit: « *et ligam fecit cum Oberto Pelavicino, Cremonae et Placentiae tyranno, contra Guelfos. Unde cum quadam die anni supradicti 1258* (8) *ambo simul contra legatum Papae iuxta oppidum Gambarae egressi de improvviso essent, eum adeo afflixerunt, ut vix perpauci fuga se se salvos fecerint. Legatus tamen simul cum episcopo Brixiensi, et aliis primariis Guelforum captivi remanserunt,*

quos secum ducens iuxta Brixiae portas, eam civitatem pro redemptione eorum obtinuit. Obertus vero cum portione sua praedae et captivorum Mantuanorum Cremonam perrexit. » Dicitur (1) quod quidam barberius, dum barbam Acellini raderet, et manus eius tremens (2) fieret, Acellinus eidem manum (3) truncari fecit. Pervenit ad aures Acellini, quod multi caeci et claudi, quos Acellinus non punierat, ibant per Lombardiam dicentes: *haec et hoc nobis fecit Acellinus de Romano*; tunc praeconari fecit, ut omnes caeci, claudi, et debiles Veronam venirent, quibus omnibus victum et vestitum Acelinus praeberet dum viverent. Tunc caeci et claudi unus post alium veniebant, et impleta est domus maxima praedictorum, numerus eorum fuit plus quam tribus millibus: tunc Acellinus ministros suos misit, ut nunciarent praedictis, si quis eorum posset vivere de labore suo exiret; inde nullus eorum exire voluit. Tunc Acellinus iussit impleri domum lignis et paleis, et posito igne, succensi sunt omnes, taliter quod nullus eorum evasit. « *Plures maritos ab uxoribus separavit, alios bonis et vita privavit. Suspersioni maxime deditus, aliorum dicta et facta in malam partem interpretabatur, crudelis, expers misericordiae, pacis inimicus, civilium discordiarum seminator, et astutissimus in cumulanda pecunia. Ecclesias spoliabat, religiosos cuiusvis generis occidebat, beneficia ex animi sui sententia conferebat, alienus a fide Catholica, unde tamquam haereticus excommunicatus fuit. Astrologiae et geomantiae, et aliis divinationum generibus, plurimum fidei tribuebat. Carceres horribiles habebat plenos hominibus et foeminis, quos ibi fame perire sinebat. Pueris et viris coniugatis testiculos adimi faciebat, ac viros nobiles ac etiam plebeios ex altis turribus praecipitare faciebat. Plurimis foeminis mamillas, nasum et superius labrum amputari fecit. Inventum est, eius mandato, diversis in locis, ac temporibus, et diversis morbi (4) generibus perisse plusquam triginta millia inter viros et mulieres, parvulos et senes. Delectabatur in caede virorum et in effusione humani sanguinis. Numquam neque in sermone, nec in operibus, neque in cogitatione visus est benignus et mansuetus; et in hoc magis crudelis apparuit, quod nulli licebat cognatum vel amicum deflare, immo cogebatur Eccelini facta laudare, et eum iustum nominare, caeterosque homines iniustos appellare. Ecclesiarum bona sibi applicavit; vetabat ne sibi subiecti confiterentur, nec ecclesias visitarent, nec verbum Domini praedicaretur. Exploratores ubique habebat, qui cunctorum dicta et facta observabant, et ob levem causam carceri universam familiam mancipavit, tormentis afflixit et occidi mandavit. Nemo apud eum tanti fuit, ut quid minimum ab eo impetrare posset. Quadam die, anno*

(1) Murat. et Salvaus. *quod auctoritas eius reperta esset*

(2) Murat. et Salvaus. *marcham Trivisanam, Vicentiam, Veronam* — Cod. Taur. *Paduam et Venetiam, Veronam, Mantuam, Brisciam*

(3) Quae virgulis interclusimus referuntur a Muratorio et Salvaio, et desiderantur in Codicibus antiquioris aevi, quibus utimur: Gullielmi ne Venturae, an alterius sint, aliorum iudicio relinquimus.

(4) Murat. *ex culpa primogeniti diaboli, seu maiorum suorum*

(5) Salvaus. *Matteo Almirandae*

(6) Murat. *anno Domini 1256* — Salvaus. *1255*

(7) Murat. et Salvaus. *plusquam duodecim millia*

(8) Salvaus. *1255*

(1) Murat. addit *dicitur quoque quod*

(2) Murat. addit *tremens prae timore*

(3) Murat. *manus*

(4) Salvaus. *mortis*

Domini MCCLIX (1), cum a quibusdam Mediolanensibus hortaretur, ut si Mediolanum iret, ipsi eius civitatis illi dominium traderent, ipse illuc ire statuit. Sed cum applicuisset Cassani, nullum vidit ex iis qui eum vocaverant, et qui eius ductores esse debebant: unde se Modocciacum reduxit, ibique existens nuntium habuit, Mediolanenses contra se venire sub Marco de la Torre duce, cum quo erant Azzo Estensis marchio, ac Obertus Pelavicinus Cremonae et Placentiae dominus, qui cum ante se cum eo colligasset, paulo ante, eius pessimos mores ferre non valens, ab eo defecerat. Quadam die, dum esset in exercitu Acellinus contra Cremonenses, percussus fuit ex uno quarello in genu suo, « sive in tibia, dum resistere vellet inimicis, ne transirent flumen per pontem iuxta Villam Novam »: audientes haec Cremonenses intraverunt in eum, « et cum viriliter pugnasset, atque vidisset res suas in maximo discrimine, equum suum impulit in flumine, qui eum saluum in alteram transtulit ripam, sed cognitus ab adversariis, et insequutus, et in ultimum discrimen adductus », ministri Acellini, haec videntes, vulneraverunt eum in capite ad mortem. Tunc Cremonenses capientes eum, duxerunt eum ad villam Soacini, et volentes eum fieri curari a medicis, non permisit, sed illa nocte propriis manibus eius vulnera laceravit: mane vero facto, sicut canem rabidum, mortuum invenerunt, « et erat annorum LXX », et sepelierunt eum in Soncino, « anno Domini MCCLIX ». Paveant ergo tyranni Lombardi, quia mors peccatorum pessima, et longa rea vita ducit homines ad malum finem.

CAPVT III.

De eclipsi solis.

Anno MCCLXI, de mense ianuarii, praedicatum fuit (2) a fratre Lafranco, perito philosopho, Praedicatorum Ordinis, quod in vigilia Ascensionis sequentis, circa nonam, pars solis per universum mundum obscura fieret. In eodem die vidi in platea Guttuariorum plures viros congregatos expectantes hoc signum si fieret; et posito speculo in quodam bacino lotoni pleno aquae (3), ibi apparuit circa medietatem solis obscuram; non post multum tempus aliquociens (4) lunam in parte mediam, et quasi totam obscurari (5) vidi.

CAPVT IV.

De discordia Solariorum et societatis Bechincinerem.

(1) Post haec orta est discordia maxima inter Solarios ex una parte, et Guttuarios et eorum sequaces ex alia. Principium quidem fuit, quod Franciscus de Solario, cui dicitur Gamba de ferro, et Bonifacius eius frater, cui dicitur Povarinus, percusserunt ex uno lapide super voltas de domo Robaudum de Cathena super caput eius, taliter quod sanguis inde exivit; tunc Ruffinus Guttuarius, socer dicti Robaudi, composuit et fecit societatem et ligam contra Solarienses, de qua societate erat maior pars Bertramengorum, omnes illi de Cathena, Raimondus Asinarius et fratres, et pars aliorum hospiciorum circa quindecim, quae pars praenominata fuit Bechincinerem, pro qua multa mala venerunt. Primo Robaudus de Cathena mortuus fuit gladio ultra montes; Pancia de Solario mortuus fuit ex uno quarello per manum illorum de Cathena; Petrus Guttuarius mortuus fuit gladio per manum assassini cuiusdam de Govone; Albertinus de Solario mortuus fuit ex una sagitta per assassinos Guttuariorum: post haec praelium fuit magnum inter ipsas partes in mercato de Sancto, tempore Galeoti de Lambertinis Bononiensis, Astensis potestatis, quod praelium duravit per spacium itineris duorum miliarium, et ibi praesens eram, et ibi mortui fuerunt Thomas Guttuarius et Conradus Pancazia incontinenti in mercato; multi vero aliorum de Solario vulnerati fuerunt, ex quibus vulneribus Manfredus Cazo et unus de Augustis obierunt. Sciendum est, quod antequam ista fierent, Robaudus de Cathena percusserat gladio Bonifacium Povarinum quasi ad mortem, et duravit ista discordia per decem annos. Sequenti anno, tempore Gullielmi de Lambertinis potestatis, pacificati sunt praedicti de Solario cum praedictis Bechincinerem, quae pax facta fuit per manum Papiensium (2), et duravit usque anno mccc: sicut scriptum est in hoc libro.

CAPVT V.

De stella cometa.

Stellam comatam mirabilem vidi MCCLXII, cuius ortus in oriente circa horam primi galli cantus, et in ortu eius coruscabat sicut fornax ardens; post haec forma eius rotunda in modum medietatis lunae; coma eius erat magna sicuti maximi equi, per plures partes divisa, et occasus eius fuit versus meridiem; quae visa fuit per menses sex et non amplius. Quidam vero philosophi extimantes dicebant rex novus eveniet (3) totus in orbe.

(1) Salvaius. 1226

(2) Murat., Salvaius et Cod. Taur. praedictum fuit

(3) Murat. et Salvaius in quodam amirello pleno aqua — Cod. Taur. in quodam viminile pleno aqua

(4) Murat. aliquantum

(5) Murat. et Salvaius. obscuram

(1) Muratorius addit Anno MCCLXI

(2) Murat. et Salvaius. sapientium

(3) Murat. et Salvaius addunt regnaturus — Cod. Taur. ruiturus

CAPVT VI.

*De Carolo comite Provinciae,
qui factus fuit rex Siciliae, Apuliae et Calabriae.*

Anno sequenti (1) Karolus tunc comes (2) Provinciae, natus ex semine regio Franciae, « scilicet frater Ludovici quondam regis Franciae », voluit subiugare regnum Siciliae, ad quod capiendum, praecedenti anno MCCLXII, ab Urbano IV papa fuerat invitatus. Congregata multitudine militum, ad bursam Summi Pontificis pro maiori parte, ivit per mare cum viginti galeis. Milites quidem eius pro maiori parte per Lombardiam transierunt, « et steterunt Ast, et cum eis venit Beatrix regis uxor, cui Astenses multa dona fecerunt, et eleganti oratione laudatu fuit a Nicolao de Duxiis, doctore legum, in ingressu civitatis. Et dum vellet discedere, iterum alia oratione a Bauduino Malabaila etiam doctore; et antequam abiret, fecit ligam cum Astensibus ». Gulielmus marchio Montisferrati copulatus erat amicitia cum dicto rege, et gentes suas per terram suam conduxit. Tunc dictus rex Karolus, « anno MCCLXV, Romam perrexit, ubi benigne exceptus fuit, et senator creatus fuit, quo in officio per annum stetit. Inde anno sequenti MCCLXVI a cardinalibus, quos Clemens IV papa, Urbani successor, miserat ad hoc in ecclesia Lateranensi, una cum Beatrice uxore, die sexta ianuarii factus est rex Siciliae, Apuliae, Calabriae, et Hierusalem sub aliquibus conditionibus, et sub onere solvendi Pontifici omni anno pro recognitione directi domini centum quadraginta millia ducatorum. Tunc dictus Karolus Neapolim pergens cum exercitu iuxta Beneventum obviam habuit Manfredum », ad pontem Ceparani obtinuit in campum Manfredum regem Siciliae, filium naturalem Frederici imperatoris, « die sexta februarii dicti anni MCCLXVI », et mortuus est ibi dictus Manfredus cum exercitu suo, « et cum eo comes Iordanus de Pedemonte affinis suus, qui erat de strenuioribus militibus illius saeculi: et Manfredus sepultus fuit iuxta ripam fluminis Viridi ». Tunc Karolus factus est rex Siciliae, Apuliae, Calabriae. Non post multum tempus Coradinus nepos Friderici imperatoris, volens vindicare mortem Manfredi regis, congregavit gentes, multos equos, et perrexit Romam. Romani quidem susceperunt eum cum gaudio, et factus est Romanae urbis senator. Post haec cum militibus suis contra Karolum regem perrexit, et afflictus est in campum cum exercitu suo, et personaliter captus fuit, et dux de Austerico, sive Austriae, et don Henricus frater regis Yspaniae, « et comes Normandiae senex, die XXIV augusti MCCLXVIII: cumque mutatis vestibus ne cognosceretur, fugeret Corradinus et alii supradicti, cumque Asturam pervenissent, ibi, dum vellent navem ascendere, et se Pisas

a recipere, capti sunt a Iohanne Frangipane, Romano, Asturae domino, qui eos tradidit Karolo ». Post haec decolatus fuit dictus Conradinus, « una cum Federico duce Austriae », et alii plures, « Neapoli, anno MCCLXIX, die XXVI octobris », praecepto dicti regis, et pro iis famam pessimam acquisivit. Tunc elevatum est cor eius usque ad nubes, « et misit exercitum in Barbariam, quo etiam ipse ivit, et Tunetum sibi tributarium, sicut aliis regibus Normandis fuerat, fecit, anno MCCLXX, et inde » constitutus est rex Hyerusalem, nec ipsum subiugare potuit. Deinde misit in Albam milites plures, volens subiugare Lombardos. Astenses vero dederunt ei ex tributo florenos auri tria millia pro tregua annorum trium. Finitis tribus annis dederunt eidem regi florenos auri undecim millia pro tregua facta aliorum trium annorum sequentium. In isto interim Alba, Alexandria, Yporegia, Thaurinum, Placentia, Savilianum subiugatae sunt sub iugo dicti regis. Bononia, Mediolanum et maior pars Lombardiae erant tributarii dicto regi. Astenses semper dictum regem odio habuerunt. Tunc anno MCCLXX orta est discordia inter praedictum regem et Gulielmum marchionem Montisferrati, pro quibus dictus rex multa mala fecit marchioni praedicto, et maxime obsidendo villam Niciae per dies quadraginta, nec ipsam habere potuit. In diebus illis subiugabant Mediolanum illi de la Turre; et multi de maioribus de Catani et Valvasatoribus forenses erant, « inter quos Otto Viscontus archiepiscopus Mediolanensis, tunc Bugellae confinatus erat ab illis de la Turre ». Quadam vero die forenses praedicti furtive intraverunt Vercellas, et occiderunt unum de maioribus de la Turre, qui potestas erat ibi. Tunc praedicti de la Turre occidi fecerunt in Broleto Mediolani de forensibus suis plusquam sexaginta gladio. In illo tempore Obertus Spinola et Obertus Auria capitanei erant Ianuae, et Grimaudi erant forenses, et per longum tempus ibi steterunt, praedicti capitanei multas victorias super Pisanos fecerunt, affligentes eos per mare in pluribus vicibus, capientes et occidentes ex eis plusquam quindecim millibus, qui carcerati steterunt Ianuae per annos decem et octo, taliter quod maior pars eorum in carceribus mortui remanserunt. Residuum eorum, facta pace inter eos, de carceribus exierunt, et antequam dicta pax fieret, Ianuenses praeliati sunt cum Venecianis ad Layacium, affligendo et capiendo caravanam Venetorum (1), et spoliis eorum ceperunt, et multos eorum occiderunt. Galeae Venetorum erant triginta duae (2), galeae Ianuensium erant decem et octo. Tunc Veneti perrexerunt in Siciliam, et multa mala fecerunt navibus et galeis Ianuensium. Post haec Lamba de Auria tunc capitaneus Ianuae factus est armigliarius de galeis quinquaginta, et perrexit in gulfum Venetiae ad villam quae dicitur Scurzola in Sclavonia. Veneti haec scientes ibi

(1) Murat. et Salvaius addunt MCCLXIV

(2) Murat. et Salvaius addunt Andegavensis et

(1) Murat. et Salvaius. clavarium Venetianorum

(2) Cod. Taur. erant viginti duae

venerant cum galeis septuaginta, et afflicti fuerunt. ibi Veneti et mortui ex eis circa tria millia, et captivi ducti fuerunt Iannam plusquam quinque millia post haec pacificati sunt praedicti Ianuenses et Veneti.

CAPVT VII.

De Passagio Ludovici regis Franciae, et Odoardi regis Angliae contra Saracenos.

MCCLXX. Antequam suprascripta fierent, Ludovicus rex Franciae, et Odoardus rex Angliae, et Karolus rex Siciliae, et eorum milites et barones ordinaverunt passagium, quia ituri erant ultra mare ad bellandum contra perfidos Saracenos, et congregata multitudine galearum et navium, transierunt navigio ad Tunesim de Barbaria, et ex peccato pecuniae (1) Karolus inde rediens appulit (2) in portum *Trapani* (3) cum omni exercitu suarum navium. Tunc miraculose fortunatus ventus absorbit maiorem partem navium praedictarum. Multi quidem viri, qui intus erant eadem hora perierunt in mare. Fama quidem erat quod haec Divino miraculo facta fuerunt. Ludovicus rex Franciae et Odoardus rex Angliae cum exercitu navium suarum transierunt ultra mare, et multa mala intulerunt Saracenis. Ludovicus quidem inde rediens obiit in itinere, cuius ossa fuerunt portata Parisiis, et post longum tempus dictus Ludovicus a Summo Pontifice canonizatus fuit. Odoardus vero stans ultra mare a quodam viro, stante in thalamo suo, gladio venenoso assassinatus fuit ad mortem. Eadem hora et loco dictus assassinus mortuus fuit ab Odoardo praedicto, et Dei voluntate liberatus est, et rediens in Angliam vixit per longum tempus, et bonam famam omnes gentes de eo narrabant.

CAPVT VIII.

De Iohanno de Beccharia Papiensi.

Hiis temporibus Iohannus de Beccharia Papiensis capitaneus erat populi Papiensis, et semper Papiensis populus milites invidabat (4), taliter quod multas offensiones personaliter inter ipsos factae fuerunt, ex quibus milites (5) Papienses plures de civitate expulsi fuerunt, et stantes ad villas et castra Papiensium multa mala inferebant civitati Papiae. Astenses vero vera amicitia copulati erant tunc et ex longo tempore cum civitate Papiae, et videntes quod Papienses diruebant castra forensium suorum

dolebant, et mittentes Papiam ambaxatores plures de maioribus Ast multociens cum militibus centum pacificabant eos. Verum est, quod parum stabant pacifici, et multa mala passi sunt milites, quia populus fortior (1) illis erat. Et in diebus meis vidi plusquam quinque expulsos stare milites ex Papiis, pro quibus Papiis valde inter ipsos peiorata, et quasi destructa fuit. Papienses, Astenses et Guilielmus marchio Montisferrati unum et idem erant. Karolus praedictus rex praedictos semper odio habuit, et contra marchionem (2) continue militabat, ita quod ei abstulit civitatem Aquensem, et castrum eiusdem obsessum tenuit cum Alexandrinis taliter, quod Raynerius bastardus, avunculus marchionis Montisferrati intus captus fuit, et in carceribus Alexandriae obiit. Videntes Astenses haec et Papienses timuerunt valde dicentes: marchio subiugabitur a Karolo rege, et nos oportebit tunc esse eius servos dicti regis; tunc Ianuenses, Papienses, Astenses et marchio praedictus inierunt societatem et ligam contra regem Karolum, ordinantes inter se se agmina militum plura, ut resistere possent dicto regi.

CAPVT IX.

De ruina Astensium apud Cossanum.

MCCLXXII, mense martii, mercatores Astenses mittebant Iannam trosellos viginti pannorum franciginorum, et faxos viginti tellarum. Iacobus et Manfredus marchiones de Buscha, et domini de Cossano ceperunt et tenuerunt dictos trosellos viginti pannorum, et tellas dimiserunt: Astenses vero miserunt praedictis de Cossano, ut eorum trosellos eisdem redderent, qui reddere noluerunt, excusantes se, dicentes quod praedicti troselli erant Ianuensium mercatorum. Tunc Astenses, congregato exercitu suo, circa pedites decem millia et paucis militibus, et ducentis peditibus de Cherio, ferro lorichatis, iverunt ad guastandum villam Cossani non timentes de rege Karolo, nec de gentibus eius, quia trengnam cum eo habebant ex pacto pecuniae; Philippus de Gonissa, Franciae senescalcus dicti regis, et Ferrarius de Sancto Amato (3), provinciales marescalci militum, congregata multitudine peditum in Alba, et militum Franciosorum provincialium ac Lombardorum plusquam quingentorum, die sabbati, vigesimaquarta martii, in vigilia beatae Mariae Virginis venerunt ad Cossanum, et ibi invenerunt Astenses in guastis Cossani (4), et afflicti sunt Astenses ab eis, et captivi ibi fuerunt duo millia et plus, et mortui circa septuaginta, et ibi praesens eram, et captivus fui in Cossano cum aliis trecentis et plus. Reliqui vero ducti fuerunt et carcerati Albae. Contristati vero sunt Astenses, ac miserunt

(1) Murat. et Salvaius. et expuncta pecunia — Cod. Taur. et ex pacto pecuniae

(2) Murat. et Salvaius. Apulian

(3) Murat., Salvaius et Cod. Taur. Drepani

(4) Murat. et Salvaius. militibus nobilibus invidabat — Cod. Taur. militibus nobilibus invidabat

(5) Murat., Salvaius et Cod. Taur. milites nobiles

(1) Cod. Taur. ferocior

(2) Murat. et Salvaius. cum marchione

(3) Murat. et Salvaius. de Amato

(4) Murat. ad quas tum Cossani

nuncios suos Papiam nunciantes eis universa quae eisdem acciderant. Tunc Papienses miserunt ducentos milites ex maioribus Papiæ in Ast, qui fuerunt Ast quinta die post praedictam ruinam (1); tunc Astenses confortati sunt, quia timuerunt si praedicti milites non venissent, suam perdere civitatem. Et habito consilio cum Papiensibus miserunt Albam Thomam Alferium, ut diceret senescallo verbis pacificis, ut Astenses, qui ibi carcerati erant, dimitteret, cum treugua et conventio esset inter regem Karolum, et commune Astense, et super hiis eidem monstravit publicum instrumentum. Quo audito, senescalcus, furore succensus, respondens, ait: *Ite, et a facie mea recedite incontinenti, et dicite vicinis vestris; nisi servi eritis domino meo regi, omnes Astenses in carceribus morientur.* Qui Thomas haec verba Astensibus retulit. Tunc Astenses miserunt undique, et habuerunt ad eorum bursam milites, qui vocabantur *Barruarii* (2), mille quingentos, et marchionem Montisferrati venire fecerunt Ast ad eorum expensas, et eligerunt in potestatem Gulielmum de Sichiis Papiensem, quia Bergadanus de Sisternis (3) Papiensis, eorum potestas, mortuus fuerat in ruina Cossani. Mense sequenti madii, milites ducenti Hispani per mare applicaverunt Ianuam, quos rex Hispaniae marchioni mittebat, nomen eius capitanei Doatus vocabatur, et venerunt in Ast ad bursam Astensium. Tunc Astenses, congregato exercitu suo militum praedictorum et peditum, iverunt Albam, et iuxta pontem Albae capti fuerunt plures balistarii provinciales. Senescalcus regis cum exorcio suo erat intus Albam. Illo vero die Astenses ceperunt quoddam castrum illorum de Nevis prope Albam cum viginti viris balistariis, et castrum diruerunt, et ibi stantes per aliquos dies, post haec reversi sunt Ast gaudentes. Sciendum est, quod in exercitu illo erant de civitate Astensi milites trecenti cum equis copertis, Hispani ducenti cum copertis ferro, marchio Montisferrati cum militibus centum, omnes praedicti erant ad bursam Astensium, milites ducenti Papienses ad expensas erant civitatis Papiæ. Domini de Gorzano, « *videlicet de Garretis, domini loci Ferreriarum, strenui viri, et usque nunc defensores orphanorum et pauperum, et iustitiae Astensis, propter multas invidias et iniurias iniustissime sibi illatas merito facti sunt rebelles Astensium* ». Tunc Astenses praedictorum terram continue distruebant, et una die destruxerunt quamdam villam illorum de Gorzano nomine Tuerdum, intrantes ibi per vim ducenti Astenses, occidentes viros et mulieres, et posito ibi igne, tota destructa fuit, « *magna cum crudelitate, et sine iusta occasione, sed sola passione invidentium illorum fortitudinem et egregias actiones* »; et domini de Priocha « *similiter* » facti sunt rebelles Astensibus « *similibus de causis* ». Post haec in Corteramine (4) milites Astenses

ceperunt quinquaginta viros de Gorzano, cum quibus erat Ubertus filius Rodulphi de Gorzano, qui obiit in carceribus Astensibus, et alii plures de Gorzano. Philippus, regis senescalcus, fecit duci centum octuaginta carceratos in Provinciam, qui steterunt carcerati in civitate Aquensi. Tunc Astenses continue offendeabant, et totam terram regis distruebant, et non erat qui eis posset resistere. Tunc comes Artesanus Albam venit cum militibus et balistariis, et fuit ita fortis, quod venit ad domum de Garretis, et per totam diem ipsam furiose praefavit, nec ipsam habere potuit, et per aliquod tempus stetit Albae (1) ad bursam Astensium redimendo carceratos, qui tunc erant Albae. Videns inde dictus comes, quod nihil proficeret, reversus est Parisios cum pudore.

CAPVT X.

De Hispanis qui venerunt Papiam.

Anno MCCLXXIV, rex Hispaniae misit Papiam milites trecentos. Papienses et Astenses, *Cherientes* (2), et marchio Montisferrati omnes cum exorcio suo iverunt Alexandriam ad guastandum, et ibi per dies octo steterunt guastando, et facto pacto cum Alexandrinis, renunciaverunt dominio regis Karoli, promittentes quod eisdem non offenderent in aeternum: et ibi, admirabile quid vidi, quia Gulielmus de Monbarutio nomine ibi infirmabatur ex febre cotidiana, qui nudus surgens nocte, natando Tanagrum transivit, et per totam noctem nudus super arenam stetit. Mane Alexandrini invenerunt illum credentes esse fantasma. Quidam notus eius cognoscens eum, duxit domui suae, et posuit eum in lecto suo, qui ex termino sudoris sanus factus est, et vixit per multos annos. Mense sequenti iunii Astenses exercitum suum congregaverunt circa milites mille et ducentos, et currus plusquam mille, et pedites tria millia: Cherientes cum militibus quinquaginta copertis ferri (3) ad bursam Cherientium undique cum Astensibus semper ibant. Primum quidem Albam vastaverunt, « *anno praedicto MCCLXXIV, inde expellentes ministros regis Caroli* »; post haec diruerunt castelletum unum nomine Cervere; in crastinum iverunt ad Savilianum, et ibi per dies octo steterunt vastando arbores, canabum et segetes; « *postea ceperunt Salutium et Revellum. Quo viso* », Thomas marchio Salaciarum, « *qui erat confederatus cum rege Carolo, videns sibi non servari promissa* », ibi venit, et « *die 21 iulii 1275* » copulatus est amicitia cum Astensibus, « *acceptante pro Astensibus Guidone Scarso potestate, et Oberto Spinola capitaneo Astensium* »; et pro eis contra regem pugnavit, « *qui*

(1) Murat. et Salvaius. pugnam

(2) Murat. et Salvaius. Brevarii

(3) Murat. et Salvaius. de Sistis

(4) Murat. et Salvaius. in Carlevamine

(1) Murat. et Salvaius. unde reversus Ast, per aliquod tempus stetit Astae

(2) In Murat., Salvaio, et in Cod. Taur. vocabulum hoc desideratur.

(3) Vocabulum hoc pariter desideratur in Muratorio, Salvaio, et in Cod. Taur.

Astenses illi Revellum deliberaverunt». Ipsa vero die praedicti omnes iverunt Foxanum, et ibi fames valida erat, mina quidem grani vendebatur florenum unum auri, et stariun vini florenos duos. Viri de Foxano multas persecutiones passi fuerant in servigio Astensium; tunc Astenses, collectis messibus inimicorum per totum circuitum, duxerunt eas ad Foxanum, et locupletati sunt omnes, et fames cessavit. Post haec Astenses venerunt Albam ad Sanctum Frontonianum (1), et eorum vineas et arbores vastaverunt, et prope eorum portas pilius Astensis cursum fuit, sicuti fieri solet Ast in festo beati Secundi, et hoc fuit in festo beati Laurentii. Anno Domini MCCLXXV. Guido Scarsus Papiensis et doctor legum, tunc potestas erat Astensis, et ibi obiit, et sepultus est Ast. Astenses vero steterunt in dicto exercitu per dies quadraginta quatuor. Eodem anno Philippus, regis senescalcus, cum exercitu suo afflictus fuit et vulneratus in facie a solis militibus Astensibus et Cheriensibus in villa Rupis Guidonis taliter quod mortui fuerunt ibi ex militibus regis Siciliae centum quadraginta salvo pluri. Ferrarius de Sancto Amanto, marescalcus regis militiae, cum aliquibus paucis capti et carcerati per longum tempus Ast steterunt. *Nanus de Ceva* (2) et *Borana de Brixia* (3) ad dictam ruinam valenter (4) praeliati fuerunt contra milites dicti regis. Tunc Philippus videns quod nihil proficeret perexit in Provinciam. Albenses, Clarascus, Saviglianus, Monsvicius et Cuneum omnes renunciaverunt dominio regis, et copulati sunt amicitia (5) cum Astensibus taliter quod annuatim (6) capiebant potestatem Astensem. Post haec Astenses ceperunt villam et castrum Coxani, ex pacto quod domini de Coxano iude exierunt cum famulis suis (7), et iverunt in Apuliam, et Astenses diruerunt turrin de Villa Sabri, cum viris viginti tribus, qui omnes mortui fuerunt subius lapides dictae turris.

CAPVT XI.

Aedificatio villae Sancti Damiani.

Anno sequenti (8), tempore Marcelli de Nigro (9), Hamensis, potestatis Astensis, aedificata fuit villa de Sancti Damiani consilio praedicti Marcelli (10), et ibi positi fuerunt homines de Gorzano, de Castro d'oro, de Lavezolis et de Marcellengo, et ibi hora edensae terremotus magnus factus est, et scio, quia ibi erat. Sciendum est quod ruina Rupis Guidonis

facta fuit in vigilia beati Martini, anno Domini MCCLXXIV. Tempore Guidonis Scarsi, domini de Priocha, relicto castro suo et villa, abierunt ad Apuliam: Astenses vero possederunt eam. Variis temporibus (1) percussus est a Deo rex Karolus, postquam percussit iniuste in Coxano Astenses; quia videlicet Siciliani, milites et ministros dicti regis occiderunt, et mulieribus pregnantibus eorumdem aperuerunt ventres. « *Cum enim ministri et milites dicti regis inhoneste et insolenter viverent, tractatu Iohannis de Procidu, qui per tres menses duravit, die lunae inter festum Resurrectionis Domini, ad horam vesperarum, cum pulsarentur campanae, Galli omnes, qui in Sicilia erant, trucidati sunt, tam mares, quam foeminae, pueri et senes; quin etiam et mulieribus praegnantibus ventres aperti sunt, et occisi infantes: idque fuit anno Domini MCCLXXXII. Inde advenit proverbium Vesperu Siciliani* ». Karolus rex erat in Apulia, et congregato exercitu suo obsedit Messinam, et ibi stetit per dies quadraginta (2), et ipsam habere non potuit. Post haec Petrus rex Aragonensis ascendit Siciliam, et factus est rex Siciliae, et multa mala fecit regi Karolo et gentibus suis. Summus Pontifex excommunicavit Petrum regem de Aragono et totam Siciliam, et praedicari fecit cruciatam super ipsos. Tunc Philippus rex Franciae, congregata multitudine gentium, ivit super terram regis Aragonum, et miraculose maior pars eorum fame, peste et epidemia ibi obierunt, et praedictus rex Philippus ibi obiit. Post haec venerunt ibi muscae venenosae grossiores aliis, quae magnam quantitatem equorum occiderunt. Karolus rex haec videns inde paravit cum residuo gentium, et prae angustia obiit « *die VII ianuarii MCCLXXXIV, aetatis annorum XVI* », et sepultus est Neapoli, anno Domini MCCLXXXIV; et reliquit septem filios, Carolum scilicet Martellum, qui fuit rex Ungariae; Ludovicum, qui fuit frater ordinis Sancti Francisci, et episcopus Tolosae; Robertum, qui fuit dux Calabriae, princeps Taranti; Raimondum; Iohannem, qui fuit princeps Moreae; et Petrum, qui fuit comes (3).

CAPVT XII.

Expulsio regis Karoli de Sicilia.

Anno sequenti (4), Karolus primogenitus eius regnavit pro eo. Vir fuit parvae staturae, et claudus uno pede, cui Petrus de Aragono intulit multa mala, capiando et occidendo gentes suas per terram et mare, ac etiam duos filios natos regis Karoli personaliter cepit in mare « *MCCLXXXIV, et fuerunt*

(1) Murat. Scarsus Franciscum — Salvaius, ad Sanctum Frontonianum

(2) Murat. et Cod. Taur. Navius de Leva

(3) Murat. Bervina Brixianus — Cod. Taur. Benalia Buxius — Alter Cod. Borana Brexanus

(4) Murat. volentes — Cod. Taur. volentes

(5) Murat., Salvaius et Cod. Taur. capitulati sunt amicitiam

(6) Cod. Taur. communiter

(7) Murat., Salvaius et Cod. Taur. cum familiis suis

(8) Vocabula haec desunt in Murat., Salvaio et in Cod. Taur.

(9) Murat. Anno Domini MCCLXXXV

(10) Murat. et Salvaius. Manuclis Marcelli de Nigro

(1) Murat. pestibus — Salvaius. partibus

(2) Murat. XLII de MCCLXXXII, mense septembris

(3) Licinia haec, quam exhibet Salvaii Codex, desideratur et in Muratorio et in aliis omnibus Codicibus, quibus usi sumus.

(4) Vocabula haec desiderantur in Murat. et Salvaio.

capti a Rogerio de Auria », quos per longum tempus in Aragono tenuit carceratos. Tunc videns rex Karolus quod eidem Petro resistere non posset, ex conventionem et pace dedit Blancam eius filiam in uxorem « *Iacobo filio regis Petri, et Eleonoram* » Frederico filio Petri Aragoni regis, qui Fredericus factus est rex Siciliae, qui et pater eius restituti sunt Sacramentis Ecclesiae, sicut christiani fideles. In diebus illis rex Karolus dimisit carceratos Astenses qui erant in Provincia, componendo pacem cum Astensibus, et dantes eis pro redemptione eorum carceratorum florenos auri octuaginta millia, qui carcerati erant centum triginta unus et non plus, quia ex eis quinquaginta in carceribus obierunt. Qui carcerati venerunt Ast. Astenses, videntes fratres suos, qui steterant per annos quinque et mensibus sex carcerati, gavisi sunt valde gaudio magno, et laudabant Deum, qui omnia eorum opprobria vindicavit. Alba, Carasum, Savilianum, Montemvicum, Cuneum et valles, subditae et obediens erant Astensibus; vicini omnes eorum metuebant Astenses cognoscendo eorum potentiam. Thomas Saluciarum marchio voluit subiugare Cuneum, dicens, quod aedificatum fuit de terra sua, et praeliando cum illis de Cuneo afflixit eos, et ex eis cepit plusquam ducentos. Manuel Pelleta, cui dicebatur *Limaza* (1), potestas tunc erat Cunei: facto pacto inter eos, factus est dominus Cunei et vallium, consentientibus Guttuariis et eorum sequacibus occulte. Solarii vero paucum locum habebant in Ast, quia favorabiles Karoli regis fuerant. Thomas marchio Saluciarum in vita sua Cuneum et valles, et Montemmalum, et Villam subiugavit.

CAPVT XIII.

Expulsio illorum de la Torre de Mediolano.

Illi de la Torre, antequam perfecti essent actus Astenses, « *anno MCCLXXV* », expulsi fuerunt de Mediolano, et afflicti fuerunt in villa Decii « *ab Ottone Visconte, auxiliante sibi marchione Guilielmo de Monteferrato* », et ibi fuerunt capti Napolio de la Torre cum aliis, qui obierunt in carceribus *Baraelli* (2) castris Comis. Reliqui vero de la Torre intraverunt civitatem Laudensem, Mediolanenses fortiter pugnando, et ipsos affligentes taliter quod de melioribus Mediolani plusquam mille ceperunt. Tunc Mediolanenses, « *videntes quod marchio Montisferrati expulerat gentes Caroli regis de Alexandria, et ipsam subiugaverat* », statuerunt capitaneum suum « *dictum* » Guilielmum marchionem Montisferrati inde ad annos decem, promittentes eidem maximam pecuniam se daturos. Tunc marchio Mediolanum venit, et secum duxit uxorem suam filiam Alphunsi regis Hispaniae.

(1) Murat. et Salvaius. *Pumassa*
(2) Salvaius. *Buracchi*

Stans autem marchio in Mediolano, Mediolanenses, et illi de la Torre compromiserunt se se in marchionem praedictum, qui marchio, habitus carceratis Mediolanensis civitatis, aliud inter dictas partes pronunciare noluit. Illi de la Torre videntes quod decepti fuerant a marchione praedicto, miserunt literas Summo Pontifici et regi Franciae et universis civitatibus Lombardiae, quas vidi, continentes quod marchio praedictus erat proditor et reus sicut eos deceperat. Tunc marchio et Mediolanenses cum exortio suo exeuntes ad campum praeliati sunt contra ipsos, et afflicti sunt illi de la Torre. Caxonus de la Torre ibi mortuus fuit. Cuius caput positum fuit *super lanceam ad Languscum, patrem vero illorum de Languscho occiderant illi de la Torre* (1). Tunc praedicti de la Torre exeuntes de Laude iverunt in Frinoli: ibi erat Patriarcha de Aquilea, qui natus erat ex illis de la Torre. Mediolanenses securi stabant et pacifici per multa tempora: illi vero de la Torre per viginti quinque annos extra Mediolanum steterunt. Mediolanenses videntes *maliciam* (2) marchionis timuerunt, et una die, dum esset marchio in Monteferrato, Mediolanenses praeceperunt Iohanni de Poge « *de Taurino* », vicario marchionis, ut ipse cum eius familia a Mediolano discederet, et ibi amplius non rediret, « *et Mediolani dominium Ottoni archiepiscopo Mediolanensi, qui de Viscontis erat, dederunt* ». Haec audiens marchio quod Mediolanenses renunciaverunt eius dominio, turbatus est contra ipsos, et in vita sua ipsos semper odio habuit. Paveant enim operantes iniquitatem, quia illi pro quibus agunt perversa non confidunt in eis. Hisdem temporibus Karolus rex, volens recuperare terram Pedemontium, misit milites plures. Quo audito, marchio Saluciarum ivit contra ipsos ad Demontem, et afflixit eos, et occidit maiorem partem eorum. Petrus de Braya capitaneus eorum fugit in Provinciam. Sciendum est quod omnes de hospicio illorum de Braya expulsi fuerunt de Alba cum familia sua ea die, qua Albenses pacificati sunt cum Astensibus, et per multa tempora extra Albam steterunt.

CAPVT XIV.

Quomodo (3) captus fuit Guilielmus marchio Montisferrati.

Anno « *Domini* » MCCLXXV (4), Guilielmus marchio Montisferrati, « *volens se vindicare de Mediolanensibus, qui eius dominio renunciaverunt, et se Ottoni Visconte supposuerunt, Tortonam*

(1) Murat. *super lanceam*; et *Milonem de Langusco occiderunt*. Tunc
(2) Murat. et Salvaius. *militiam*
(3) Murat. et Salvaius. *quando*
(4) Murat. et Salvaius. *MCCLXXXVI*. Ast data haec, uti et illa superius indicata, falsa est. Captio namque marchionis Montisferrati ad annum 1280 referenda.

civitatem, cum Mediolanensibus confoederatum, expugnavit: quo in facto occisus fuit episcopus eius civitatis, Visconti affinis. Nec multo post obtinuit Vercellas, et procuratoribus Aymone episcopo Vercellensi, et Petro comite Valperga, et Oberto Petenato; Henricum de Burontio, Advocatorum, Arboreorum, et aliorum Gibellinorum potestatem, ab exilio revocavit. Et paulo post, dictus marchio, dum iret Hispaniam cum uxore sua Beatrice, captus fuit personaliter a Thoma tertio (1), comite Sabaudiae, « iure belli, per Delfinatum prosequutus apud Valentiam », et ipsum tenuit donec eidem comiti reddidit civitatem Thauriui et Collegnum et Pianezam. Post haec dictus marchio ivit Hispaniam cum uxore sua quae ibi obiit. Marchio vero reversus est Montemferratum cum magna quantitate pecuniae. « Ianuenses vero et Mediolanenses, Papienses, Placentini, Cremonenses, Brixiani et Astenses fecerunt ligam contra eum et contra comitem de Langusco, anno Domini MCCLXXXVIII. Qua liga non obstante », tunc milites Papienses cogitaverunt mala in cordibus suis, et occulte ordinantes (2) cum marchione. Praedictus marchio venit ad Breme: tunc milites Papienses in dolo consilium dederunt, dicentes: *eamus contra marchionem, et pugnemus contra eum*. Manfredinus de Becharia, ignorans quae ventura erant super eum, exivit cum populo Papiensi: milites autem praecedebant eos. Cum autem Papienses marchionem praedictum vidissent, se preparaverunt contra dictam marchionem pugnare. Eadem hora Capellinus Isenbardus habens vexillum novum occultum, posuit eum super lanciam, et clamavit dicens: *qui pacem vult, veniat iuxta me*. Tunc milites Papienses euntes ad illum dicebant: *fiat pax, fiat, fiat*. Marchio cum exercitu suo pacificus cum Papiensibus eodem die intravit Papiam. Crastina vero die marchio factus est capitaneus generalis hinc ad annos decem de civitate Papiae. Manfredinus de Becharia videns quod illus et deceptus fuerat, locutus est marchioni, dicens: *volo ut sis dominus Papiae in aeternum*. Mane, facto consilio generali, statuerunt marchionem praedictum eorum dominium, dantes ei in vita sua merum et mixtum imperium, quod parum possedit. Audientes haec Astenses timuerunt, et turbati sunt vehementer, et miserunt ei ambaxatores, volentes ab eo scire qualiter stare possent pacifici cum eo. Qui respondit eis dura cervice et animo irato, dicens: *nisi Astenses mihi reddiderint Montemmagnum et aliam terram, quam ex meo patrimonio occupant, iamdiu est, ex nunc se preparent ut defendantur a me*. Tunc Astenses imposuerunt equos quingentos copertos in civitate, quos cito habuerunt, et elegerunt in potestatem Ottolinum de Mandello Mediolanensem, qui venit Ast versus Provinciam. Tunc Astenses, convencione facta cum Mapheo Visconte

a. capitaneo et domino Mediolani, Alberto Scoto capitaneo Placentiae, Conrado Spinola et Conrado de Auria, et Cremonensibus et Brexanis, qui omnes promiserunt Astensibus, et miserunt milites quingentos cum duobus equis quilibet in Ast. Tunc marchio cum innumerabili multitudine peditum et militum venit ad Cravarolium, et per duas noctes dormivit in domo Apostolorum. In die vero praeliati fuerunt castrum Insulae, nec ipsum habere potuerunt. Marchio praedictus tunc subiugabat Papiam, Novariam, Vercellas, Terdonam, Alexandriam, Albam, Yporegiam. Post haec venit ad Versam cum praedicto exercitu. Deinde Amedeus comes Sabaudiae venit Ast, « anno Domini MCCXC », cum militibus quingentis ad bursam Astensiam. b. Astenses habebant in civitate quingentos milites optime preparados, et saepe (1) vastabant villas Montisferrati, et una dierum intraverunt in villam de Villa (2), et ipsam destruxerunt. Post haec, congregato exercitu et curribus, iverunt ad Tongum: comes Sabaudiae erat cum illis. Marchio haec audiens, qui erat Papiae, veniebat furiose ad eos; quo audito, Astenses reversi sunt Ast trepidantes. Post haec Pastroni et Sicii de Vignale occiderunt Odegarium de Palma castellanum Vignalis et eius filium, et miserunt Astensibus ut irent ad Vignale. Eadem die iverunt et munierunt castrum et villam Vignalis, et ibi ceperunt tentorium marchionis, ex quo paria decem bovum onerata fuerunt, et ductum est Ast, et hiis omnibus interfui, et pro hiis Pastroni et Sicii de Vignale habuerunt florenos decem millia aureos. Post haec, « anno MCCXC », Astenses secretissime ordinaverunt cum Alexandrinis « et cum familia de Putco » ut praeliarentur contra marchionem pro eis, promittentes eis octuaginta quinque millia florenorum auri. Haec nota fuerunt marchioni, et venit Alexandriam cum militibus suis, volens punire Alexandrinos de grandi scelere. Haec autem praesciebant Alexandrini, et capto personaliter dicto marchione, posuerunt eum in carcere, et obiit « die VI februarii MCCXCII » in dictis carceribus, « et pro sacrilegio commisso in occasione et occisione episcopi Terdonensis poenas portavit: et nocte praecedenti antequam caperetur, somniavit se circumdatum quantitate magna d. asinorum, qui clamoribus suis eum insurdabant in dictis carceribus. Tunc Alexandrini dubitantes, ne ficta esset eius mors, non antea permiserunt auferri corpus ut sepeliretur, quam guttis lardi ac etiam plumbi liquefacti non probassent, utrum vere mortuus esset: et cognito quod mortuus esset, ex suis scripturis omnia nomina illorum de Monteferrato deleverunt »; et sepultus est in Locedio. Post haec Astenses stantes in obsidione Albugnani affligerunt illos de Monteferrato, et hoc fuit ad Tongum, et ex hiis plures capti fuerunt, inter quos erat Gullielmus de Robella, qui carceratus fuit Ast.

(1) Salvius haec addit.

(2) Salvius. ordientes

(1) Murat. et Salvius. et ope eorum

(2) Murat. in Altam Villam

Henricus de Tanchetinis, Brixianus, tunc erat po-
 testas, qui ibi et alibi optime se probavit. Tunc
 captum fuit Albugnanum et medietas Rippae. Post
 haec captum fuit castrum et villa Tonghi cum Tra-
 buchis, et stantes in obsidione Tonghi, illi de Cal-
 liano dederunt Astensibus castrum et villam Calliani
 precio librarum centum turonensium grossorum,
 et ego praedictus Gulielmus Ventura, civis Asten-
 sis, fui ad numerandos eos, et praedictos denarios
 receperunt Facius de Cuniberto et Facinus de Fau-
 zono (1), et alii plures proditores de Calliano. Post
 haec Astenses habuerunt castrum et villam de Ca-
 stagnolis, et partem, quam habebat marchio in
 Felizano. Iohannes filius quondam Gulielmi mar-
 chionis Montisferrati missus fuerat « ad Thomam
 marchionem Salutarum in Revello; et post aliquot
 menses a Thoma in Delphinatum, et finaliter » ad
 regem Karolum in Provincia, et ibi stetit donec
 Astenses treugnam fecerunt cum eo in Provincia,
 inde ad annos quinque proxime sequentes. Tunc
 Astenses pacificati sunt undique, possidentes ter-
 ram marchionis, quam ei abstulerunt. « Eodem
 etiam tempore Nanus marchio Cevae simul cum
 Georgio et Guilielmo filiis suis, se et res suas
 Astensium dominio supposuerunt ». Alexandrini ce-
 perunt Viarixium et Sanctum Salvatorem, ex quo
 fecerunt tres partes, ponendo eum per casales (2).
 Manfredinus de Becharia factus est maior dominus
 Papiæ, quam ante fuerat. Mapheus Visconti subiug-
 gavit Novariam, et ibi fecit forte castrum: similiter
 ad Vercellas aliud castrum ibi fecit. Alexandria,
 Terdona contra omnes pugnabant pro Mapheo prae-
 dicto. Tunc impletum est verbum Ieremiae prophe-
 tae dicentis: *percutiam pastorem, et dispergentur
 oves gregis*. Opera Maphei Visconti maxima fue-
 runt: omnes Lombardi metuebant eum. Galeacius
 eius filius cepit in uxorem sororem marchionis de
 Este: admirabiles nuptiae ex ea in Mediolano factae
 fuerunt, ad quas invitati fuerunt omnes Lombardi,
 et ibi datae fuerunt plusquam septem millibus panis
 bonis ioculatoribus. Mapheus praedictus, Manfre-
 dinus de Becharia, Albertus Scotus unum et idem
 erant, et unusquisque eorum suam dominabatur
 civitatem. Non post multos dies (3) milites Papien-
 ses exierunt de Papia, et contra Papiam militave-
 runt per longum tempus, et ex pacto facto inter
 eos pacifice debebant redire Papiam, et redeun-
 tibus, in introitu eorum in civitatem, antequam
 exissent, mersissent (4) ex equis suis, incoeptum
 fuit praelium magnum in Papia, et ibi plures mor-
 tui et vulnerati fuerunt. Manfredinus de Becharia
 et amici sui ea die expulsi fuerunt de Papia. Pa-
 pienses vero diruerunt domos Manfredi praedicti
 et omnia castra eius, et ex pacto confinatus est
 dictus Manfredus in Buzalla, et ibi est usque in
 hodiernum diem.

(1) Murat. et Salvaius. de Favezono
 (2) Murat. ponendo unam per caselas
 (3) Murat. annos
 (4) Murat., Salvaius et Cod. Taur. antequam descendissent

CAPVT XV.

Reversio illorum de la Turre in Mediolanum.

« Iohannes vero marchio Montisferrati iam fa-
 ctus adultus, sequutus fuerat Carolum II regem
 usque ad eius reditum in Neapolim, sperans filiam
 eius in uxorem habere, sed cum non potuisset
 obtinere, relicto Carolo, ad Amedeum IV Sabau-
 diae comitem accessit, ex quo, anno Domini 1296,
 Margheritam eius filiam, quae prius desponsata
 fuerat Iohanni filio Humberti delphini, cuius nu-
 ptiae postea non fuerant celebratae, in uxorem
 accepit. Quo facto, ligam postea fecit cum Man-
 fredo marchione Salutarum; et collecto exercitu,
 adversus Astenses pugnaverunt, et civitatem per vim
 caeperunt, et spoliaverunt, et Solarios, et illos de
 Caneto (1), et alios Guelfos eiecerunt et Isnar-
 dos (2) de Castello Gibellinos cum eorum sequaci-
 bus, qui multo tempore exules fuerunt, reduxe-
 runt. Solarii vero; et Caneti (3), Ottonis de Car-
 reto opera, steterunt in Alba; et anno Domini
 1299, iungentes se dicti marchiones (4) cum comite
 Filippo de Languscho, obtinuerunt Vercellas, et
 Novariam, et Casale Sancti Evasii, expulso ex
 Vercellis et Novaria Galeatio Viscontio filio Mattei,
 et anno Domini mcccI Titiones ex Vercellis, et
 ex eorum castris et bonis eiecerunt, et spoliaverunt,
 et ad fugiendum coegerunt ». Post haec illi de la
 Turre, « quorum caput erat Guido de la Turre »,
 cum exorcio suo, « et cum auxiliis, quae a mar-
 chionibus Montisferrati et Salutarum habuerunt »,
 venerunt prope Mediolanum, Mapheus Viscontis
 exiens contra eos in campum, Albertus Scotus et
 amici quidam Maphei in dolo dixerunt ut ibi pax
 fieret: videns autem Mapheus quod deceptus fuerat,
 inde partivit cum suis militibus forensibus. Illi de
 la Turre intraverunt Mediolanum, et dominati sunt
 Mediolano, et Mapheus praedictus est extra Medio-
 lanum usque in hodiernum diem. « Quod videntes
 Astenses timuerunt, ne omnino subiugarentur, vel
 eorum civitas rueret. Quare secreto tractaverunt
 cum Carolo rege Neapolitis, et cum Philippo de
 Sabaudia, qui noviter propter uxorem Margeritam
 Achaiae seu Moreae princeps factus fuerat, ut
 ipsis auxilium contra marchiones mitterent. Qui
 rex et princeps miserunt Guilielmum de Montebello
 cum multis militibus, quorum opera restituti fue-
 runt Solarii, eiectione Isnardis; et civitas ab obadien-
 tia marchionis liberata fuit ». Non post multum
 tempus, « anno mcccv, Iohannes marchio Mon-
 tisferrati mortuus est sine filiis, et ex testamento
 heredem sibi instituit Andronicum Palaeologum ma-
 ritum Iolantis, seu Ireneae sororis dicti Iohannis.
 Qui Andronicus noluit venire in Montemferratum;
 sed loco suo misit Theodorum filium suum, quem

(1) Murat. de Carreto
 (2) Murat. Ionardos
 (3) Murat. Carreti
 (4) Murat. iungentes se dicto marchioni

marchionem esse voluit pro se. Manfredus vero a marchio Salutarum, audita morte Iohannis, existimans, Montemferratum ad se magis vere spectare, qui ex linea masculina affinis erat Iohannis, et qui in adversitatibus semper eum iuverat, quam ad Theodorum, qui ex linea foeminina, quae non est capax feudorum, descendit (postposito testamento Iohannis), Guigonis de Cocconato, et aliorum Gibellinorum auxilio, Clavarium, Moncalvum, Lucum, Vignale, et maiorem partem aliarum terrarum Montisferrati occupavit. Albertus Scotus, « cum marchionibus praedictis, cum quibus erant illi de la Torre », expulsus fuit de Placentia, et dirutae sunt domus eius et bona, et iustum fuit, et quasi a Domino, quia decepit socium suum Maphaeum. Paveant enim dominantes eorum amicos et b vicinos iniuste vexare, ne eis accidat quod illis tribus tyrannis evenit: et vere Lombardia assimilari potest anguillae, quae nec per caput, nec per caudam teneri potest. Quia audivi de Federico II imperatore maximo Romanorum, qui ex longo tempore antequam supradicta fierent regnaverat, et totum Romanum imperium domaverat praeter Lombardos, quos domare unquam potuit, quia vidi in pluribus scripturis antiquis, quod Mediolanenses fuerunt ei rebelles, et afflicti fuerunt ab ipso Frederico, et capti in maxima quantitate eorum cum carrocio suo ad Curtem novam, MCCXXXVII. Bononienses cum rebelles essent eidem Frederico personaliter ceperunt Henricum regem, filium Frederici praedicti, qui in diebus meis obiit in carceribus praedictorum. Parma contra Fredericum pugnabat, qui prope Parmam construxit villam nomine Victoriam, et ibi afflicti sunt a civibus Parmae dictus Fredericus, et destructa fuit Victoria. Tunc Fredericus abiit (1) Apuliam, et factus est inobediens summo pontifici, Innocentio nomine, de ospicio illorum de Flisco, Ianuensi, qui timens Fredericum, occulte discessit a Roma, et pergens Ludanum, venit Ast anno MCCXLIII, et hospitatus fuit in monasterio Apostolorum ad expensas dicti monasterii. Papa vero, facto concilio generali in Lugduno, deposuit Fredericum ab imperio Romanorum usque ad quartam generationem. Tunc Fredericus persecutus est ecclesiam Dei, et cepit personaliter in mare plures cardinales et prelatos quos carceravit, et qui fugiebant (2) a facie eius. Post haec Fredericus obiit, MCCL, unde versus:

*Annis millenis ducentis penteque denis,
Dives mendicus decessit rex Fredericus;
Illo namque die celebrantur festa Luciae.*

CAPVT XVI.

De marchione Pallavicino.

Post mortem Frederici praedicti et ante, semper in malo statu Lombardia fuit, et credo, quod erit (1), quia in diebus meis multos tyrannos ad nichilum illam redire vidi. Scilicet marchio Pallavicinus, qui monoculus erat, subiugabat Cremonam et alias civitates plures. Quadam die, dum esset in Ast, quidam mali cives consilium dederunt super voltas de Sancto, praesente dicto Pallavicino, ut praedictus dominus fieret Astensis civitatis, cui fuit terminatum (2) consilium usque mane. Eadem nocte Gullielmus Alferius, Petrus Laurencius (3) et alii plures intrantes domos, ordinaverunt cum viris legalibus, ne praedictus Pallavicinus fieret dominus civitatis Astensis. Mane autem facto magnis verbis Pallavicinus de civitate partivit, et post haec parum vixit. Gullielmus marchio Montisferrati furtive capi fecit Margaritam eius filiam, quae erat annorum septem, pulcherrimam mulierum, quam dederat in uxorem filio Pallavicini praedicti, quae, postquam crevit, filio Alphunsi regis Hispaniae uxor fuit. Alia vero filia dicti Guillelmi Romae in domo Ursinorum nupta fuit. Tercia, nomine Violant, uxor est (4) Andronici imperatoris Grecorum, speciosissimae fuerunt inter mulieres. In diebus illis marchio Lancia militabat contra Astenses, cui Astenses abstulerunt comitatum Loreti, ex quo constructa fuit villa Costiglolarum. Deinde marchione ipso stante in Nono, Astenses intraverunt villam Noni, et castrum Noni diruerunt. Marchio Lancia ivit ad Cherium. Cherienses tunc et Alexandrini, et Thomas comes Sabaudiae magnam guerram Astensibus faciebant; et una dierum Astenses intraverunt in Montemcalerium, et possiderunt villam et castrum. Eodem die Thaurinenses afflicti sunt ab Astensibus ad Montem de Bruno, et multi eorum in Ast fuerunt carcerati. Post haec Thaurinenses personaliter ceperunt Thomam praedictum, et ipsum in carceribus posuerunt dicentes ei, quod inde non exiret, donec eorum vicini, qui capti erant, in eius obsequio relaxarentur. Tunc milites Astenses Thaurinum iverunt, volentes dictum Thomam in Ast ducere. Thaurinenses noluerunt dictum Thomam eis dare, et redientibus solis militibus Astensibus, invenerunt prope Monreondum (5) Cherienses insidiantes Astenses in quodam stricto loco: marchio Lancia cum illis erat, quasi firmiter credentes, quod nullus ex Astensibus posset evadere. Milites Astenses irruentes in eos, fortiter afflicti ibi fuerunt Cherienses; marchio Lancia vulneratus fuit in facie, et de Cheriensibus capti fuerunt multi, et in magna quantitate ad voluntatem Astensium, et steterunt carcerati in Ast,

(1) Murat. et Salvaius. erat

(2) Murat. et Salvaius. prorogatum

(3) Cod. Taur. Laudensis

(4) Murat. fuit

(5) Murat. Monardum

(1) Murat. obiit

(2) Salvaius. et quisquis fugiebat

donec ex pacto exierunt, et facti sunt Cherienses *a* quasi servi Astensium, taliter quod si opus erat Astensibus mittebant unum nuncium ad comunitatem Cherii, qui ascendebat super campanile Sancti Georgii pulsando strepidum campanarum, et clamabat dicens, quod omnes Cherienses irent ad exercitum ordinatum, sicut dicto nuncio impositum fuerat. Deinde multitudo militum Burgundionum venerunt volentes pugnare contra Astenses, quia Thomas eorum comes carceratus erat in Ast, quem eis dederunt Thaurinenses. Tunc Astenses, congregato exercitu suo, iverunt super Ripam Sangonis, et exercitus comitis ibi prope erat; et videntes Astenses, timuerunt Burgundi, et in illa nocte exterriti Burgundi inde partiti sunt cum exercitu suo. Tunc rex Franciae omnes Astenses qui erant *b* in regno suo carcerari fecit Parisiis, et omnes eorum casanas derobavit. Audivi a multis, quod valebant dictae casanae plusquam tercentis millibus libris bonorum turonensium *nigrorum* (1). Deinde Astenses non cessabant offendere dicto Thomae capiendo plures villas et castra, et vastando terram suam usque Secusiam; post haec pacificati sunt Astenses et *domus* (2) Sabaudiae, et copulati sunt vera amicitia usque in hodiernum diem.

CAPVT XVII.

*De divisione Lombardiae,
et multa mala in multis civitatibus.*

Sciendum est, quod post obitum Frederici, Lombardi inter se divisi sunt in partes duas, quarum una vocatur pars Ecclesiae, et alia pars Imperii, modo vero una pars vocatur Ghibellina, alia Guelfa. Primi quidem fuerunt Veronenses: Mastinus de Scala fortissimus Ghibellinus expulit omnes et ditiores et maiores de Verona, et domos eorum diruit, quas vidi post mortem dicti Mastini, regnante pro eo Alberto de Scala; et mortuo Alberto, Bartholomeus de Scala regnat pro eo; et in dies persequitur expellitque omnes qui nominati sunt Guelfi. Mantuae vero fui, et similia vidi, et ruinam domorum maximam, et *ante Pinamontem fui, tyrannum perfidum* (3); nullus ex equo *mergere* (4) audebat, nisi ante ipsum *d* praesentatus fuisset: fratres eius et nepotes *unus alium occidit* (5): tota die, et usque nunc pro parte Ghibellina Mantua dominatur. Cremonae ruina extimari non potest, et cum ibi essem, audivi ab antiquis, quod *mcclxvi* Boxius de Doaria Ghibellinus expulsus fuit de Cremona, et circa decem millia virorum exierunt cum illo cum familiis suis, qui nundum reversi sunt ibi. Castrum de Rocha et domos omnium praedictorum diruerunt. Bononia, mei memoria,

(1) Murat. et Salvaius. *grossorum*(2) Murat. et Salvaius. *comes*(3) Murat. et Salvaius. *et ante Pinamontem tyrannum perfidum*(4) Murat. et Salvaius. *surgere*(5) Murat. et Salvaius. *unum post alium occidit*

intra se se multas expulsiones fecerunt, et multa homicidia et ruinas usi sunt facere. Nunc vero populus Guelfus Bononia dominatur Ferraria, Mutina, Parma, Brixia, *Cumis* (1), Placentia, Terdona, Alexandria, Alba, Thaurinum et Aquis, semper in diebus meis in malo statu vidi, et nunc sunt. Pergamum penultima civitas fuit, quae fecit malum finem, quia primi qui exierunt de terra, antequam compleretur annus, Pergamum sunt reversi: primi quidem et secundi turres et copiam domorum diruerunt, et multi viri ab utraque parte mortui sunt. Post haec pacificati sunt, et nunc in Pergamo omnes pacifice commorantur. Astenses fuerunt ultimi ad malefaciendum facta sua, quorum actus scripti sunt in hoc libro.

CAPVT XVIII.

Divisio Ianuensium.

Ianuenses ante obitum Frederici fecerant duas partes, quarum una, scilicet Frederici imperatoris, exierunt de Ianua, videlicet Spinolae et eorum sequaces, et stabant Sagonae militantes contra Ianuam. Audivi a multis quod Astenses miserunt Sagonam milites in obsequio Frederici. Post mortem eius Ianuenses obsiderunt Sagonam per terram et mare cum manganis et trabuchis, taliter quod ipsam ceperunt. Post longum tempus Spinolae pacifici reversi sunt Ianuam, et ibi nullum locum, nec posse habebant, sed Grimaldi *Ianuam subiugabant* (2). Post haec, circa *mcclxx*, Obertus Spinola et Obertus Auria, auxilio et consilio aliquorum virorum popularium Ianuae ac etiam Lombardorum, una dierum vicerunt Grimaldos praeliantes cum eis. Ipsa vero die praedicti ambo Oberti facti sunt Ianuae capitanei generales. Grimaldi nolentes esse sub eorum iugo cum familiis suis de Ianua exierunt, et cum eis illi de Flisco, quibus Ianuenses abstulerunt plures villas et castra. Grimaldi et Fliscatores per longum tempus steterunt foris, et post pacifice reversi sunt Ianuam, semper occulte insidiantes Obertos Spinolam et Auriam, sub quorum iugo erant positi eorum sponte. Quadam die anni novi Grimaldi et eorum sequaces surgentes cum armis, eques et pedes iverunt per Ianuam vulnerando et occidendo homines populares, clamantes *morianitur Spinolae et Auria, et vivant Grimaldi*. Quo audito, praedicti Oberti, quia Grimaldi munierant *portum* (3) et campanile sancti Laurentii et domos fortes Fliscatorum, irruerunt cum populo, et invenerunt Grimaldos, et praeliantes cum eis, reclusi sunt Grimaldi in ecclesia sancti Laurentii. Populus, parato igne, voluit praedictos comburere, Obertus Spinola liberavit eos, verbis pacificis dicens: *sinite, quia hi sunt fratres nostri, quamvis stulti sint*; et accepto sacra-

(1) Murat. et Salvaius. *Cremam*(2) Murat. et Salvaius. *in Ianua dominabantur*(3) Murat. et Salvaius. *portum Ianuae*

mento ab eis, promiserunt quod contra statum a ipsorum Oberti Spinolae et Auriae in aeternum venire non presumerent: et post eos abire dimisit. Non post anulum tempus Obertus Spinola obiit; Grimaldi portantes eum ad sepeliendum acerbe flebant, dicentes: *cur nos, pater, deseris, qui semper nos tamquam filios carissimos nutristi?* Multitudo gentium ibi erant flentes, et eum honorifice vidi sepelire in ecclesia sanctae Catharinae. Post haec populus, timens insidias Grimaldorum, constituit Conradum filium Oberti Spinolae capitaneum loco patris sui. Obertus Auria noluit esse capitaneus, dicens quod frater eius Obertus obierat, et factus est capitaneus Conradus filius Oberti de Auria. Grimaldi semper insidiabantur praedictos. Quadam die in Epiphania Domini, Grimaldi et Fliscatores, b ac eorum sequaces, qui multi erant, eques et pedes armati et multi Balisterii cum eis, credentes expellere Conradum Spinolam et Auriam, contra eos fortiter praeliaverunt. Populus semper resistebat Grimaldis. Lamba de Auria hoc audito, qui tunc erat capitaneus Astensis populi, Ianuam perrexit, et quinquaginta milites Astenses cum eo, portantes vexillum Astensium militum, et *Deconotus* (1) praeco communis Astensis (2) cum eis. Bellum inter eos duravit quadraginta dies, et ibi mortui fuerunt viri plusquam mille, inter quos mortui fuerunt Sbaraglia filius Conradi Spinolae et Petrus de Castello, fortissimi viri, et alii plures Ianuenses de melioribus: ex vulneratis infinitus est numerus; et hoc vidi, quia ibi praesens eram. Die lunae, pridie c carnis privii (3), Grimaldi expulsi fuerunt de Ianua. Ipsa die *Fulchus* (4) Asinarius Astensis venit Ianuam, quia Ianuenses in suum potestatem elegerant; Grimaldi et Fliscatores passi fuerunt multa mala, quia eorum domus derobatae fuerunt et combustae. Stantibus autem Grimaldis extra Ianuam, Franciscus de Grimaldis, praenominatus Franciscus *de Mazia* (5), callide et occulte indutus habitu Fratrum Minorum, intravit villam de Monacho, et occidit custodes dictae villae, et munivit duo castra quae ibi sunt, et villam, ex quibus multas offensiones Ianuensibus faciebat, quia navem unam ex trosellis francigenis oneratam, valentem circa libras centum millia Ianuensium, et alias plures barchas et galeas ceperat. Quadam die Grimaldi cum galeis quinque armatis, circa auroram, posuerunt scalam ad maxellum moduli, et intraverunt Ianuam, et intrantes domos quae fuerunt Grimaldorum, occiderunt Latifrancum Spinolam. Quo audito Spinolae et Auriae, et populus cum eis irruerunt contra Grimaldos, et afflicti sunt Grimaldi, et pro maiori parte capti et carcerati Ianuae; et ibi steterunt per longum tempus. Post haec exierunt, et in diversis locis confinati fuerunt. Post haec obiit Conradus Spinola,

et factus est capitaneus Opecinus eius filius, et *Bernabò* (1) filius Branchae de Auria. Grimaldi reversi sunt Ianuam pacifice *MCCCXII* (2), et Ianuae non steterunt per annum. Bernabò Auria, et illi de Auria copulati erant amicitia cum Grimaldis. Haec videns Opecinus, timuit, et personaliter cepit Bernabovem de Auria, et eum incarcerationavit: custodes eius permiserunt illum abire; secuti sunt eum omnes de Auria et multi alii de maioribus, et intraverunt in Saxello et in castrum Stellae, et ibi stantes, Opecinus Spinola misit exercitum suum, et cepit castrum Stellae, et diruit eum. *MCCCIX*, mense madii, praedicti forenses, congregato exercitu, *iverunt ad villam Vultri* (3). Manfredinus de Carreto, et Guillelmus filius Nani de Ceva duces erant eorum. Opecinus Spinola haec audiens venit ad Sextum cum maiori quantitate militum et peditum, quam forenses praedicti essent, et praeliantes simul afflictus est Opecinus, et fugit in Gavium, et ex gentibus suis mortui fuerunt ibi plusquam ducenti, inter quos mortui fuerunt potestas Ianuae et Ansaldus Balbus de Castello. Eadem hora forenses praedicti Ianuam intraverunt, et non fuit qui eis resisteret, salvo quod Petrinus filius Corradi Auriae ex uno quadrello mortuus fuit ad Portam Vacharum. Opecinus munierat castra *Vintemiliae* (4), et ibi fuit magnum praelium, et ibi fuerunt mortui plusquam ducenti, inter quos mortuus fuit Franceschini Grimaldus *de Mazia* (5); tandem Grimaldi civitatem et castra *Vintemiliae* (6) munierunt. Post haec habuerunt Portumvenerem et Lerex, quae Opecinus tenebat. Sequenti mense septembris, Ianuenses miserunt exercitum suum ad vastandum Gavium, ubi Opecinus morabatur. Tunc Ianuenses diruerunt domum pulcherrimam *de Loculi* (7). Sequenti anno dictus Opecinus mense marci intravit villam Montaldi Ianuensis, et ex eis de Montaldo mortui fuerunt plures, et villa destructa fuit. Sequenti mense madii dictus Opecinus intravit *Voltabium* (8), et posito ibi igne, destruxit totam villam, et portas muri dictae villae diruit. Eodem mense Ianuenses ceperunt galeam unam, quae exierat de Monacho, et multa mala Ianuensibus fecerat, et ex eis multi mala morte mortui fuerunt, alii vero fuerunt Ianuae carcerati. Sequenti mense iunii Ianuenses pacificati sunt cum Opecino praedicto, qui per duos annos stare debet ad voluntatem communis Ianuae extra Ianuae civitatem. Odoardus Spinola in dicta pace esse *noluit* (9), sed castra et villam Monaci *dum poterit munita tenebit* (10).

(1) Murat. et Salvaius. *Boconatus* — Cod. Taur. *Bochontus*

(2) Murat. *pro communi Astensi* — Salvaius. *pro eo communi Astensi*

(3) Salvaius. *pridie kal. iunii*

(4) Cod. Taur. *Fulvius*

(5) Murat. et Salvaius. *de Malitia*

(1) Murat. *Barnaba*

(2) Murat., Salvaius et Cod. Taur. *MCCCXIII*

(3) Murat. et Salvaius. *iverunt ultra* — Cod. Taur. *Vulterum*

(4) Cod. Taur. *victualis*

(5) Murat. et Salvaius. *de Malitia*

(6) Cod. Taur. *victualis*

(7) Murat. et Salvaius. *de Lorellis*

(8) Murat. et Salvaius. *Volabrum*

(9) Murat. *voluit*

(10) Murat. et Salvaius. *dum poterat munita tenebat*

CAPVT XIX.

Divisio Alexandrinorum.

Alexandrini fuerunt quasi primi Lombardi, qui partes fecerunt: et primi illi de Puteo exierunt, et venerunt Ast; Astenses praebebant eis ex sua pecunia, quia semper Alexandrinos odio habuerunt. Inveni enim in antiquis scripturis, quod Astenses afflicti fuerunt bis in anno in Calamandrana, et in Quatordeis ab Alexandrinis, et hoc fuit MCCXXV (1). Post haec Astenses multa obprobria Alexandrinis fecerunt: stantes cum carrocio nostro (2), et Papienses cum eis, per dies quindecim vastaverunt Alexandriam in anno MCCLXXII usque prope portas eorum. Alia vice Astenses per dies octo vastaverunt etiam Alexandriam anno quo supra, et a mei memoria Alexandrini per vices septem una pars alteram expulit. Anno MCCCIX, de mense februarii, Lanzaveglia expulsi sunt de Alexandria. *Robertonus* (3) Trotus tunc capitaneus Astensis populi, et milites Astenses cum eo fuerunt Alexandriae ad expellendum et occidendum praedictos Lanzaveglia, ex quibus duo fratres, filii Girardi Lanzavegliae, mortui fuerunt, et alii plures. Guillelmus Inviciatus exivit de Alexandria, qui tunc erat capitaneus Alexandrini populi. Sciendum est, quod Alexandria numquam fuerat in tam bono statu et pacifico, quam tunc erat. Sequenti mense madii Guillelmus Inviciatus pacifice Alexandriam reversus est: Lanzavegliae forenses sunt, et eorum amici quotidie confinantur. *Moruellus Ysembardus* (4) Papiensis Alexandriae illo anno factus est potestas.

CAPVT XX.

De civitate Ferrariae et Placentiae.

Multas afflictiones passi sunt Lombardi MCCCIX: primo Ferraria quasi destructa fuit, quia mortuo marchione de Este constituit heredem suum quemdam filium suum naturalem. Quo audito, fratres dicti marchionis militabant contra naturalem praedictum, qui timens ne subiugare posset Ferrariam, quia Ferrarienses ipsum odio habebant, abiit, et dedit ex pecunia Venetis castrum et dominium Ferrariae. Tunc Ferrarienses turbati abierunt, et servi facti sunt Clementis papae, qui tunc sedem tenebat in Avignono. Tunc papa misit nepotem suum cum duabus Amignis (5) militum, quos vidi transeuntes per Ast, et iverunt Ferrariam. Tunc Ferrarienses cum dictis militibus praeliati sunt contra Venetos, qui erant in castro, quod est intus Ferrariam. Tunc Veneti exeuntes afflixerunt eos, et plures occiderunt,

a et partem Ferrariae igne comburerunt. Quo audito, papa maledixit Venetos, et excommunicavit eos excommunicatione Saracenorum, et cruciatam fecit praedicari super Venetos. Eodem anno, mense madii, Mediolanenses et Papienses cum eorum ligasterunt in guastis Placentiae per dies triginta, et hoc quia Albertus Scotus, tunc dominus Placentiae, expulerat de Placentia potestatem et capitaneam, qui ambo erant de Mediolano, et pro his dictus Albertus inimicus factus est illorum de la Torre. Mense sequenti septembris Papienses cum forensibus Placentiae per aquam cum navibus (1) intraverunt quemdam burgum Placentiae civitatis, qui est versus Cremonam. Placentini irruentes in eos ceperant ex iis circa mille, et multi ex eis negaverunt in aqua. Eodem anno, mense februarii, Lanzavegliae expulsi sunt de Alexandria, prout in actis Alexandriae describitur. Astenses eodem anno, mense madii, afflicti sunt in Quatordeis. Opecinus Spinola expulsus est eodem anno de Ianua, et in expulsionem sua mortui fuerunt in Segisto viri circa ducenti, et in Vintimilia (2) mortui fuerunt plusquam centum, in Clavaro (3) plusquam centum quinquaginta gladio perierunt. Karolus secundus rex obiit, et sepultus est in Neapoli. Eodem anno, sexto mensis madii, Robertus eius filius regnavit pro eo: et confirmatum est regnum eius mense sequenti augusti in Avignono: ibi Clemens papa sedem tenebat, qui dicto Roberto dictum regnum confirmavit. Eodem mense augusti (4) confirmatum est per Clementem papam imperium Romanorum Henrico de Osterico Almaniae regi, dum tamen ipse veniat (5) ad capiendam coronam auream a summo pontifice ubicumque fuerit. Eodem anno, et mense augusti, princeps Taranti filius quondam dicti Karoli deprehendit uxorem suam, filiam regis Albaniae, Graecae gentis, in adulterio; et confessa fuit, quod plus quadraginta milites ex maioribus curiae regis ipsam carnaliter cognoverant, ex quibus aliqui decollati fuerunt, alii vero fugierunt: ipsam vero dominam, pulcherrimam mulierum, in carcerem posuerunt. Philippus princeps «Sabaudiae» eodem anno cepit ex vi cum manganis castrum de Rocha et castrum de Septimis, quae sunt versus Canapicium, quae ambo possidebat Theodorus marchio Montisferrati. Eodem anno, mense augusti, Ferrarienses occiderunt, et negaverunt ex Venetis existentibus Ferrariae circa tria millia. Eodem anno rex Yspaniae et rex Aragonum praeliati sunt in campo contra Saracenos, et ex Saracenis plusquam viginti millia gladio perierunt; ex christianis vero circa decem millia ibi mortui remanserunt. Christiani reges habentes victoriam obsiderunt civitatem Armaniae, et per longum tempus ibi stantes ipsam habere non poterunt.

(1) Murat. et Salvaius. MCCXXIV

(2) Cod. Taur. vasto

(3) Murat. et Salvaius. Robertsarus

(4) Murat. et Salvaius. Momellus Isimbaldus

(5) Murat., Salvaius et Cod. Taur. duobus millibus

(1) Murat., Salvaius et Cod. Taur. cum militibus

(2) Vocabula haec desiderantur in Murat. et Salvaio.

(3) Murat. Claverio — Salvaius. Clavero

(4) Haec pariter desiderantur in Murat. et Salvaio.

(5) Murat. tunc cum ipso veni — Salvaius. tunc cum ipse veni

CAPVT XXI.

Discordia regis Franciae et regis Angliae.

Antequam suprascripta fierent, orta fuit maxima discordia inter Philippum regem Franciae et Odoardum Angliae regem, ex qua multa mala venerunt, prout inferius audietis. Tunc papa eisdem regibus duos cardinales transmisit, nec eos pacificare potuerunt, et facto ab utraque parte exercitu magno in mari et in terra praeliati sunt, adeo quod innumerales viri occisi sunt gladio. Audiens haec papa excommunicari fecit Philippum regem Franciae, pessimum virorum. Post haec Amedeus comes Sabaudiae electus est arbitrator praedictorum regum, et ex eius arbitratu pacificati sunt praedicti. Philippus praedictus praeliari voluit contra Robertum comitem Flandriae, et videns, quod regi resistere non posset, timens viros villarum suarum, qui cupiebant exire ex iugo sui comitis, ordinavit cum rege praedicto, quod ipse rex poneret duces et praesides super omnes villas Flandriae comitatus, et ita factum est. Non post longum tempus praedicti praesides opprimebant Flamengos, et eorum uxores et filias violabant quotidie; quidam *de Bruge* (1), nomine Petrus *Coringus* (2), textor, compilata multitudine operariorum *de Bruge* (3), callidissime et secrete undierum cum vexillis et armis exierunt in vicos et plateas, clamantes: *Francigeni moriantur*; et omnes Francoigenos quos invenerunt, occiderunt, et per omnes villas Flandriae factum est simile opus. Audiens haec rex Franciae, congregato exercitu suo, obsedit *Yslam* (4) per menses tres, et ex pacto facto cum Roberto comite cepit *Yslam* (5); et dictum Robertum cum duobus filiis suis, deceptis a rege, fraudolenter ducti sunt Parisiis, qui eos detinuit. Flamengi hoc audientes venerunt super terram regis Franciae cum militibus et innumerabili multitudine pedum *comburendo et undique destruendo* (6). Rex Franciae misit exercitum suum ad *Cortray* (7), ubi erant Flamengi, et praeliati sunt ad invicem, et miraculose afflicti sunt ibi Francigeni, et ex eis mortui fuerunt plusquam decem millibus millibus de melioribus Franciae, inter quos erant comes *de Artessio* (8), dux dicti exercitus, et circa triginta de maioribus principibus (9) Franciae. Philippus rex Franciae haec audiens, scissis vestibis, flevit fletu magno, et misit Obertum Folgos in Lombardiam, qui duxit secum milites Lombardos et pedites plures cum lanciis longis, et congregato exercitu suo per regem, perrexit in Flandriam. Flamengi haec audientes contra ipsum venerunt, et praeliati sunt simul, et multi

a ab utraque parte afflicti sunt gladio. Multa mala, quae scribi non possent, venerunt ex praedicta discordia, ac etiam Raynerius de Grimaldis occidit gladio plusquam viros *decem millibus de Flamengis* (1), qui erant in Olanda in obsidione cuiusdam villae nomine *Seresec* (2), et dictus Raynerius magnum commodum et honorem habuit a rege supradicto. Post haec dictus rex pacificatus est cum Flamengis, dantes praedicti eidem regi ex pacto libras octocentum millia bonorum *parvorum* (3) Turonensium. Sciendum est, quod praedictus Philippus rex multa mala fecit fidelibus suis, abstulendo eis aurum et argentum eorum, et faciendo falsam monetam de ramo tantum, tam parvam quam grossam, pro quibus eius fideles eum maximo odio habebant; ita quod quadam die Parisienses cives, volentes irruere super eum, iverunt ad domum eius, dicentes ut vellent *aloqui suae maiestati* (4). Ille autem timens furorem eorum, blandis verbis et pacificis fecit unusquisque eorum abiret domum suam. Crastina die praedictus rex ministros suos misit pro illis maioribus, qui praedicta *promoverant* (5): ex illis magnam quantitatem suspendi fecit ad muros Parisiensis civitatis. Sciendum est, quod suprascripta discordia dicti regis Franciae et Angliae incepta fuit *mcclxxxvii*, et duravit per annos sex. Post longum tempus, *mccc*, Philippus praedictus rex Franciae misit filium suum primogenitum ad gustandum Lugdunum. Cives Lugdunenses posuerunt filium dicti regis ex pacto in civitate Lugduni. Praedictus filius regis Franciae cepit personaliter Petrum, nepotem Amedei de Sabaudia, fratrem Philippi principis Achaiae, et ipsum Petrum violenter Parisios duxit. Tunc Clemens papa misit duos cardinales Parisios ad liberandum praedictum Petrum a rege praedicto; qui papa tunc sedem tenebat in Avignone, quia praedictus rex Franciae non permittebat eum ire Romam; ex quo Romani valde turbati erant. Sciendum est, quod praedictus papa fuerat ante archiepiscopus de Bordello.

CAPVT XXII.

De Manuele comite de Blandrato, domino Montisacuti.

d Audiavi ab antiquis, quod Manuel comes de Blandrato, et dominus Montisacuti, circa *mccl* dictus Manuel capi fecerat trosellos pannorum mercatorum Astensium, pro quibus Astenses, congregato exercitu, eidem Manuello abstulerunt villas suas, et ex viris dictarum villarum aedificatae sunt Butigliera, Povarinum, Montata Fangi et Canalis. Post longum tempus praedictus Manuel, *mcclxxxx*, intravit nocte Buttiglieram, consilio et favore Gullielmi marchionis

(1) Murat. et Salvaius. *de Burgo*(2) Murat. et Salvaius. *Bornigus*(3) Murat. et Salvaius. *de Burgo*(4) Murat. et Salvaius. *Lillam*(5) Murat. et Salvaius. *illam*(6) Murat. et Salvaius. *combattendo undique et devastando*(7) Murat. *ad contra* — Salvaius. *ad contrarium*(8) Murat. et Salvaius. *de Arlasco*(9) Murat. et Salvaius. *principalibus*(1) Murat. *XI de Flamengis*(2) Murat., Salvaius et Cod. Taur. *Ceresse*(3) Murat., Salvaius et Cod. Taur. *denariorum*(4) Murat., Salvaius et Cod. Taur. *ei loqui*(5) Murat. et Salvaius. *procuraverunt*

Montisferrati, et consentientibus aliquibus dictae a villae, qui praenominati sunt Pastae (1): tunc Astenses irruentes super terram dicti Manuelis, die et nocte, segetes, vineas et arbores cotidie vastabant. Fredericus natus Manuelis praedicti, pulcherrimus virorum, ex una lancia longa in villa Summaeripae mortuus fuit. Tunc ore Manuelis aridum fuit factum (2), et prae timore timens, ne residuum terrae suae perderet (3), ex puro dono castrum Porcilis Astensibus dedit, et pacificatus est cum eis. Post haec, ipse castra Montisacuti et Sancti Stephani Rotariis vendidit precio florenorum quadraginta octo millium: floreni tunc temporis non valebant nisi solidos viginti Astenses. Heredes Henrici Alpherii duxerunt Manuelem ad standum in Ast, et extorquerunt ex bursa dicti Manuelis in bona quantitate dictorum florenorum, ex quibus eidem fecerunt pessimam rationem; et fama est, quod in vita sua nec post eius mortem aliquid non solverunt. Non post multum tempus dictus Manuel obiit in Ast, et sepultus est in claustro Fratrum Praedicatorum.

CAPVT XXIII.

Comes Guido de Montefeltro.

Guidonem comitem Montisfeltri vidi confinatum in Ast a Summo Pontifice. Audivi a ministris eius, cuius notus eram, quod semper Romanam Ecclesiam propugnavit, ac etiam innumerabilem turbam pluries Francigenorum (4) gladio interfecit, et inter alia praedicti ministri mihi dixerunt, quod una die praedictus Guido erat in quadam civitate, « cuius nomen ignoro », et inimici eius obsiderunt (5) eam; tunc dictus Guido finxit se callidissime fugere a dicta civitate ab una porta: inimici eius intraverunt praedictam civitatem per aliam portam. Praedictus Guido praeceperat ministris suis, ut porta, per quam exierat, fortiter clauderetur. Tunc dictus Guido cum militibus suis post terga inimicorum suorum per aliam portam intravit cum eis, et taliter fecit, quod afflixit eos, quod quasi nullus ex eis remansit, quin gladio moreretur. Ex talibus et similibus audivi, quod praedicta facta fuerunt a praedicto Guidone, quae scribi non breviter possent. Verum est, quod praedictus Guido, sapientissimus fuit, fortis, largus, et callidissimus in bellando. Gullielmus marchio Montisferrati ardenti amore ipsum diligebat; et vidi in quadam vigilia Natalis Domini, quod praedictus marchio dicto Guidoni miserat viginti paria bovum cum caruxiis oneratis odorifero vino, farina tritici, carnis salsis, et abundantia pullorum et cirogiclorum (6).

- (1) Murat. de villis, quae praenominatae sunt Posse
- (2) Murat., Salvaius et Cod. Taur. Tunc ore Manuelis accordatum fuit factum
- (3) Murat. et Salvaius. periret
- (4) Murat., Salvaius et Cod. Taur. Flamengorum
- (5) Murat., Salvaius et Cod. Taur. abstulerunt
- (6) Murat., Salvaius et Cod. Taur. et habuit sarapulos, et conguolos

Astenses valde diligebant eum Guidonem. Pisani (1) vocaverunt eum, et stetit in Pisis (2) eorum capitaneus per tres annos, et cum esset ibi, Boncontus natus eius mortuus est in quadam ruina facta in Bibena (3) a Guelhis super Ghibellinos Toschanos, in qua ruina episcopus Aretinus mortuus fuit, et eius sepulcrum (4) et nitriam vidi in Florentia suspensam in ecclesia beati Iohannis Baptistae. Post haec, praedictus Guido, poenitentia ductus, humilis et contritus, de quo vere dici potest: non est inventus similis illi, Ordinem Fratrum Minorum intravit, et per spacium annorum triam obedientissimus ibi stetit (5), austeriorem vitam faciens, quam fratres alii faciebant. Post haec, dictus Guido in civitate Veneciae obdormivit in Domino.

CAPVT XXIV.

Actus antiqui Astensium (6).

Astenses ab antiquo multos domaverunt comites et tyrannos, et gladius eorum domui Sabaudiae non peperit. Quadam vero nocte « antequam supra dictu fierent », anno MCCLIV (7), milites et populus Astensis equitantes versus Monchalerium, invenerunt ibi prope viros Cherienses, qui afflicti sunt ab Astensibus, et ex eis multi capti fuerunt. Mane vero Astenses ceperunt villam et castrum Monchalerii violenter, et abbatem Secusiae qui ibi erat. Thomas comes Sabaudiae haec audiens, qui erat in Thaurino, venit versus Monchalerium cum exortio suo ipsa die. Haec audientes Astenses occurrerunt contra ipsum usque ad montem de Bruno (8), et ibi afflicti sunt dictus Thomas ab Astensibus. Thaurinenses multi ibi capti fuerunt. Tunc Thaurinenses personaliter ceperunt dictum Thomam, et ipsum posuerunt in carcere dicentes: volumus habere carceratos nostros. Quadam die milites Astenses venientes Thaurinum, Cherienses, et marchio Lancia cum eis insidiati sunt Astensibus iuxta villam Montisrotundi (9). Cherienses ibi afflicti sunt, et ex eis ducti fuerunt in Ast circa quingenti (10), et per plures dies steterunt in carceribus Astensibus. Rex Franciae cepit omnes Astenses, qui erant in regno suo, in personis, et eisdem abstulit omnia bona sua, valentes plusquam quingentis (11) millibus florenis auri, et per plures annos Parisiis carcerati steterunt. Thaurinenses dederunt Astensibus Thomam praedictum, quem Astenses in carcerem posuerunt cum abbate Secusiae. Tunc Burgondi in

- (1) Murat. et Salvaius. Postea — Cod. Taur. Passim
- (2) Murat. et Salvaius. et stetit impensis
- (3) Murat. et Salvaius. Vibona — Cod. Taur. Viberia
- (4) Murat. et Salvaius. sceptrum
- (5) Murat. et Salvaius. fecit
- (6) Quae in hoc capitulo referuntur facta; ea pariter quasi de verbo ad verbum leguntur in cap. XVI: verisimile igitur, haec ab ignoto quopiam in Gullielmi Venturae Chronicon inserta fuisse.
- (7) Murat. et Salvaius. MCCLIV
- (8) Cod. Taur. Bruno
- (9) Murat. et Salvaius. Monardi — Cod. Taur. Monrecondi
- (10) Cod. Taur. I.
- (11) Cod. Taur. I.

magna quantitate militum, venientes de ultramontibus, castramentati sunt super ripam Sangoni: Astenses cum exorcio suo super aliam ripam castramentati sunt. *Tunc et ipsa nocte* (1) Burgondi timentes, viliter recesserunt. Post haec Astenses pacificati sunt cum praedicto Thoma et Cheriensibus tali pacto, quod cum esset opus Astensibus equitare, mittebant ipsi Astenses nuncium comunis in Cherio, qui ascendens super campanile Sancti Georgii strepidum personabat campanarum, dicens: quod Cherienses cuin armis suis sub poena constituta irent Ast. Ex quo Cherienses erant valde turbati, et hoc duravit usque anno mclclxx. Tunc Astenses de novo conventionem et amicitiam simul fecerunt, taliter quod unus alteri inenarrabilia fecerunt, prout scriptum est in hoc libro.

CAPVT XXV.

Antiqui actus Lombardorum (2).

Infrascripta inveni in antiquis scripturis, quae vera sunt omnia. Primo:

mlxx, die xI madii, civitas Ast capta et destructa fuit.

mcI (3). Astensis civitas pene tota succensa fuit.

mcix. Capta fuit Antiochia Ierusalem, et inventa fuit lancia, quae perforavit latus Christi.

mcx. Civitas Novariensis ab Henrico quarto capta fuit.

mcxxiiI, quarta iulii (4), fuit bellum inter marchionem Raynerium Montisferrati et cives Ast « *in quo terga verterunt Astenses* ».

mcxxxviI. Facta fuit magna discordia inter episcopum Astensem et cives Ast, et capta fuit civitas Thaurinensis ab Amedeo comite.

mcxlviI. Commota fuit terra ab oriente usque ad occidentem contra Paganos.

mcliv, secunda septembris, fuit bellum inter marchionem Gulliellmum Montisferrati et cives Astenses, in quo marchio tergavit confusus.

mclvii (5). Federicus rex ingressus est civitatem Ast, qui multis turribus obrutis, et incendiis factis, abiit.

mclxiI. Mediolanum destructum fuit a Federico rege.

mclxxiI. Mediolanum reaedificatum fuit.

mclxxviI, vi februarii, cives Astenses obsederunt Castagnolas, et ceperunt. Et eodem anno obsedit rex Federicus civitatem Astensem.

mclxxxix. Obscuratus est sol a sexta hora usque ad horam nonam in Exaltatione Sanctae Crucis.

mclxxxviI. Capta est civitas Ierusalem a Saladino soldano Paganorum.

mclxxxxi (1), mense iunii, fuit bellum inter Bonifacium marchionem Montisferrati et cives Astenses, in quo Astenses terga verterunt.

mccix. Otto Saxoniae quartus imperator intravit Italiam.

mccxv. Factum fuit concilium generale Romae sub Innocentio tercio, regnante Federico imperatore.

Eodem anno destructum fuit Cassale Sancti Evaxii.

Eodem anno Foxanum ex villa Romanisii aedificatum fuit.

mccxxiiI, in nativitate Domini fuit terremotus in Italia.

mccxxviI. Astenses congressi cum Alexandrinis in Quatordes fracti fuerunt et ducti in carcerem in Alexandria.

Eodem anno fuit bellum inter eosdem, et subigerunt Astenses apud Calamandranam.

mccxxx. Mediolanenses obsederunt Mombarutium, et per *quinque* (2) ebdomadas ibi steterunt, et facto pacto inter ipsos et marchionem, castramentati sunt in finibus Insulae et Caprarolii, et succensis segetibus et villis recesserunt.

mccxxxviI. Federicus imperator apud Curtem-Novam congressus cum Mediolanensibus, cepit eos cum carroccio et potestate.

mccxlii. Innocentius papa quartus *hospitatus fuit* (3) in monasterio Apostolorum Astensi expensis dicti monasterii.

Eodem anno Federicus imperator similiter ibi pernoctavit. Et tunc factum fuit concilium in Lugduno longum, in quo fuit dictus Federicus imperator depositus ab imperio usque in quartam generationem.

mccxlviiI, die dominico, decima tertia februarii, fugatus fuit Federicus imperator ab obsidione Parmae, et combusta Victoria, quam urbem fecerat ibi.

mccl. Obiit Federicus imperator depositus ab Innocentio quarto, *alias quinto* (4).

mcclv, die mercurii, ix decembris, Astenses ceperunt Montemchalerium et abbatem Secusiae ibidem.

mcclxxix, circa medium mensem iunii, marchio Saluciarum ad locum Draconerii cepit et *peremit* (5) de illis de Cuneo homines ccc.

CAPVT XXVI.

Indulgentia Romae, mccc, facta sub Bonifacio.

Notum facio omnibus fidelibus Christianis, quod mccc ab Oriente et ab Occidente tam viri, quam

(1) Cod. Taur. Nocte sequenti

(2) Non omnia quae in hoc capitulo leguntur a Gulliello Ventura fuisse scripta palam est. Non enim credendum, antiquos nuncupasse actus illos, qui suo potissimum acciderant aevo; tum et eo magis, quum de his ipsemet seorsim in pluribus et distinctis capitulis sermonem habuerit.

(3) Ogerius Allferius hoc refert ad annum mxci, decimo quinto kalendas aprilis.

(4) Murat. et Salvaus. *II kal. iunii*

(5) Ogerius Allferius destructionem hanc refert ad annum mclv, in kalendis februarii.

(1) Ogerius Allferius addit hoc factum die xviii iunii.

(2) Vocabulum hoc desideratur in Murat. et Salvaio.

(3) Murat. et Salvaus. *Hispanus fuit*

(4) Vocabula haec desiderantur in Muratorio.

(5) Murat. et Salvaus. *percussit*

mulieres, ex omni genere Christiano, innumerabili a quantitate, veloces Romam pergentes, dixerunt Bonifacio, tunc summo pontifici: *da nobis benedictionem tuam, antequam moriamur. Audivimus ab antiquis, quod quisquis Christianus omni anno centesimo visitaverit Capita beatorum Apostolorum Petri et Pauli, liber sit tam a culpa, quam a poena.* Tunc dictus Bonifacius, et eius cardinales, congregato eius concilio, quaerentes in eorum Canone, non invenerunt aliquam notitiam de praedictis: statuerunt et ordinaverunt, et decretum fecerunt, ut quisquis Christianus eodem anno, et per totum annum steterit Romae per dies quindecim visitando omni die ecclesias beatorum Apostolorum Petri et Pauli, liber sit a baptismo (1) ab omni peccato suo, tam a culpa, quam a poena; et in aeternum indulgentia praedicta omni anno centesimo per eundem Bonifacium, et eius cardinales confirmata fuit. Mirandum est *quis pascebat viros et mulieres* (2), qui anno illo Romae fuerunt, quia ibi fui, et per dies quindecim ibi steti. De pane, vino, carnibus, piscibus et avena bonum mercatum ibi erat: foenum carissimum ibi fuit; hospitia carissima, taliter quod lectus meus, et equi mei super foeno et avena constabant mihi turonensem unum grossum. Exeunte de Roma in vigilia Nativitatis Christi, vidi turbam maximam, quae dinumerari non poterat; et fama erat inter Romanos, quod ibi erant plusquam vigesimum centum millia virorum et mulierum; plures ibi vidi viros et mulieres conculcatos sub pedibus aliorum; ac etiam egomet in eodem periculo pluries vix evasi. Papa innumerabilem pecuniam ab eisdem recepit; quia die ac nocte duo clerici stabant ad altare Sancti Pauli tenentes in eorum manu rastellos, rastellantes pecuniam infinitam. Unde vere restant securi Christiani venturi, quod praedicti Bonifacius et eius cardinales in aeternum praedictam indulgentiam omni anno centesimo venturo firmaverunt, et decretum fecerunt, cuius exemplum portavi in Ast, et inferius exemplari feci in fine quasi libri unius (3). Et eram ego Guillelmus

(1) Murat. a die baptismi

(2) Murat. quot passim ibant viri et mulieres

(3) Praenarratae indulgentiae exemplar, quod in omnibus Codicibus, qui nunc supersunt, desideratur, uti et in Muratorio, publici iuris factum legitur in volumine II operis, cui titulus — *Codices manuscripti Bibliothecae Regii Taurinensis Athenaei, etc.* — pag. 146, illudque hic inserendum duximus.

« Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei ad certitudinem praesentium, et memoriam futurorum. Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem Basilicam Principis Apostolorum de Urbe concessae sunt remissiones magnae, et indulgentiae peccatorum. Nos ergo, qui iuxta officii nostri debitum salutem appetimus et procuramus libentius singulorum, has remissiones, et indulgentias ratas habentes et gratas, auctoritate Apostolorum confirmamus, approbamus, et etiam innovamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Ut tamen Beatissimi Petrus et Paulus Apostoli eo amplius honorentur, quo devotius eorumdem Basilicae fuerint a Fidelibus frequentatae, et Fideles ipsi spiritualium largitione munerum ex huius frequentatione magis senserint se refectos, Nos de Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate, de fratrum nostrorum consilio, et Apostolica plenitudine potestatis, omnibus in praesenti anno mccc, a festo Natalis Domini praeterito proxime inchoato, et in quovis anno centesimo secuturo, ad Basilicas ipsas accedentibus, reverenter vere

Romae cum fui annorum quinquaginta et amplius. Consulendum est igitur et laudandum omnibus Fidelibus Christianis, quod omni anno centesimo secuturo faciant illud idem.

CAPVT XVII.

Destructio et depositio Ordinis Templariorum.

Defuncto Bonifacio papa praedicto, qui mirabilis fuit in operibus suis, factus est papa quidam frater Praedicatorum de Palma, qui non vixit per annum. Post ipsum Clemens V. factus est papa, qui

» penitentibus et confessi, vel qui vere penitebant et confitebantur
» in hoc presenti, et in quovis centesimo secuturo annis, non solum
» plenam et largiorem, immo plenissimam omnium suorum concedimus
» mas veniam peccatorum. Statuentes qui huiusmodi indulgentiae,
» ut praedicitur, a nobis concessae fore participes esse voluerint, si
» fuerint Romani, ad minus xxx diebus continuis vel interpellatis,
» et saltem semel in die; si vero peregrini fuerint, vel forenses,
» modo simili diebus xv ad easdem Basilicas accedant. Unusquisque
» tamen plus merebitur, et indulgentiam efficaciter consequetur, qui
» Basilicas ipsas amplius et devotius frequentabit. Nulli ergo omnino
» hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis,
» innovationis, concessionis, et constitutionis infringere, vel ei
» ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare presumpserit,
» indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum, viii kal. martii, Pontificatus nostri anno sexto.

Hae sunt Indulgentiae Ecclesiarum Romae.

» Ad Sanctum Iohannem de Laterano viii anni.
» Ad Sanctam Crucem de Ierusalem xxxii anni.
» Ad Sanctum Laurentium l. anni.
» Ad Sanctam Agnetem xiiii anni.
» Ad Sanctam Mariam Maiorem xiii anni.
» Ad Sanctum Antonium vii anni.
» Ad Sanctam Praxedem ii anni.
» Ad Sanctam Mariam Rotundam x anni.
» Ad Sanctum Petrum ultra c anni.
» Ad Sanctum Spiritum vii anni.
» Ad Sanctum Paulum ultra indulgentiam c anni.
» Ad Sanctam Sabinam vii anni.
» Ad Sanctum Iacobum vii anni.
» Ad Sanctum Egidium vii anni.
» Ad Sanctos Fabianum et Sebastianum vii anni.
» Ad Domine quo vadis vii anni.
» Ad Sanctam Mariam de Angelo iii anni.
» Ad Sanctam Mariam Magdalenam xii anni: et in qualibet Ecclesia
» tot sunt xl, quot sunt anni.
» Summa praedictorum annorum sunt iij. m, et pro quolibet anno
» sunt dies c.

» Quaesivimus de diminutione dierum, ad quod responsum fuit
» quod nullo modo minui possunt, cum dicat PP. Romani xxx diebus, peregrini et forenses simili modo xv.

» Quaesivimus pro pauperibus debilibus in remotis partibus, qui venire non possunt, utrum possunt habere istam indulgentiam, si velint dare aut mandare oblationes suas secundum facultatem suam. Responsum fuit, quod non, cum dicat Dominus Papa ad Basilicas ipsas accedentibus reverenter.

» Quaesivimus pro illis, qui sunt in purgatorio. Responsum fuit, quod non, cum dicat Dominus Papa vere penitentibus et confessis. Alii non possunt penitere nec confiteri, ergo nec indulgentiam consequi.

» Quaesivimus utrum sit a poena, et a culpa. Responsum fuit, quod sic: et sic Mater Ecclesia tenet, docet et predicat et confirmat, cum dicat Dominus Papa non solum plenam et largiorem, immo plenissimam veniam suorum concedimus peccatorum.

praefuerat archiepiscopus de Bordello (1). In diebus suis admirabilis novitas, et persecutio terribilis facta est super Ordinem Templi, quae processerunt ex invidia, et cupiditate Philippi regis Franciae, qui odio Templarios habuit, eo quod ausi fuerunt esse contra ipsum ex sententia excommunicationis data per praedictum Bonifacium contra praedictum regem. Qui una dierum omnes Templarios stantes in regno suo cepit et carcerari fecit, opponens contra eos, coram Clemente papa haereticas blasphemias, et vestigia sodomorum, et opponens, quod cum aliquis eorum praedictum Ordinem intrabat, oportebat ipsum Christum Crucifixum negare, et funem in cruce ligare, et trahere ipsam per tres passus, et alia horribilia, quae scribenda non sunt, *et quia praedicta aliqui ex illo Ordine, vili corde, et trepidati a tormentibus* (2), coram Summo Pontifice et rege praedicto confessi sunt praedicta facta fuisse, pro quibus pessima sententia lata est contra eos. Ex his vero aliqui succensi sunt igne, et multi ex eis in carceribus obierunt, et possessiones eorum, et bona mobilia per totum orbem terrarum, tam citra mare, quam ultra, ablata sunt eis, et deposito habitu Ordinis dispersi sunt undique. Clemens praedictus in Concilio Generali facto in Vienna, mcccxi, et ibi erant ab Oriente et ab Occidente innumerabiles praelati et clerici, rex Franciae et alii plures reges, Clemens ex ore suo maledixit Ordinem Templi, et ipsum cassavit, et deposuit Templarios, et eorum possessiones, quae erant in regno regis Franciae, concessit praedicto regi; reliquas possessiones concessit Hospitalariis Sancti Iohannis, et eisdem praecepit, ut se se prepararent ad pugnandum saracenos, et navigio ultra mare transire, inde ad annos quinque proxime venturos. Si praedicti iustam aut iniustam contra Templarios dederunt sententiam, ipsi sciunt; et Deus ultionum, qui non dormit, et qui novit omnia antequam fiant, praedicta cognovit antequam ipsi sciverint, et si passagium fuerit, Altissimus provideat, breviter quo melius esse debet. Gullielmus de Nogareto, regis Franciae cancellarius, auctor pro posse suo fuit praedictae ruinae Ordinis Templi, eo quod patrem eius tamquam haereticum comburi fecerunt. Dum autem plures ex Ordine Templi ad ignis patibulum ducerentur, unus ex ipsis, inter eos maior, voce magna dixit praedicto Gullielmo: *False et iniuste procurasti destructionem Ordinis Templi: ad regem non possumus appellare, quia contra nos pugnat cum consensu papae Clementis, sed ad Deum summum iudicem appellamus, qui fortior est istis, coram quo te citamus, ut infra diem octavam personaliter comparere debeas*. Ecce miraculum, quod dictus Gullielmus die octava praedicta terribiliter,

a et sine *provisione* (1) mortuus est. Post haec Clemens papa in Carpentrasio horribili morbo *lupi* (2) mortuus est, mala fama multifarie subsequente, et maxime ex infinito auro, quod habuit ab Hospitalariis, quibus concessit castra et bona Templi. Tunc congregati sunt cardinales in eodem loco, ut novum papam eligerent, et hoc fuit mcccxiv, mense aprilis, et facta est scisma inter Ytalicos et Gallicos, ex qua familiae praedictorum taliter inter se se commoti sunt, et praeliati, quod ex ipsis *magis quam centum* (3) interierint, et posito igne in domibus *muniliorum* (4) et vendentium pannum et alias mercandancias, ex quo tertia pars villae suceensa est, quod pessimum exemplum extitit christianis. Tunc cardinales per dictam provinciam sunt dispersi, et nondum ad eligendum papam potuerunt huc usque convenire. Credendum est vere, *quod papa, rex* (5) Franciae, et Gullielmus de Nogareto morte pessima finierunt dies suos pro peccatis pessimis. Nam Deus ulcionum Dominus furorem suum implevit, et merito super eos, quia non est credendum, quod bona mors ibi fuerit, ubi praecessit vita mala.

CAPVT XXVIII.

De morte Philippi regis Franciae, et de Ludovico eius filio, ac eius uxore in adulterio deprehensa, et de quibusdam aliis.

c Philippus rex Franciae horribili morte mortuus est, mcccxv, mense novembri, « die xxix », qui dum iret ad venationem, quidam aper irruens ad pedes equi sui, ipsum cum equo ad terram proiecit, ex quo casu ita extitit vulneratus et contusus, quod infra diem octavum mortuus est. Ludovicus filius eius primogenitus regnavit pro eo, et accepit uxorem de prole sua, filiam *scilicet* (6) regis Ungariae quondam. Nam uxor eius, quam prius habuerat, scilicet filiam ducis Burgondiae, in turpi adulterio fuit deprehensa cum cognata sua uxore fratris sui Karoli iunioris: ex quo ambae *ad interitum* (7) condemnatae, in carceribus perpetuis sunt reclusae, in quo carcere ex gravitate eidem facta, uxor dicti Ludovici satis cito vitam finivit, supervivente fratris uxore. Hii vero qui cum eisdem se commiserant, scilicet Philipponus de Alnetto et Galcheronius eius frater, ambo filii Galcherii de Alnetto militis, probati, convicti et confessi, patre eorum sententiam proferente, ignorante tamen filios eius esse tanti sceleris patratores, virilibus membris abscissis, excoriati, et ad equorum caudas tracti, *apud Pontisseram* (8) sunt suspensi. Postmodum vero satis cito Amorus

(1) Murat. et Salvaius. qui antea dictus fuit Bertrandus Got, de Guascogna, et fuerat archiepiscopus de Bordello; et fuit factus Parisiis ad instantiam Philippi Pulchri regis Franciae, dicto Bertrando absente, anno MCCCX.

(2) Murat. Ad quae praedicta aliqui ex eo Ordine caeperunt trepidare, et ex tormentis. — Salvaius. et quia praedictos aliquos ex illo Ordine vidit trepidare, et tormentis

(1) Murat. et Salvaius. percussione

(2) Murat. et Salvaius. lupuli

(3) Murat. et Salvaius. magistris centum

(4) Murat. et Salvaius. muniliorum

(5) Murat. et Salvaius. quod propterea rex

(6) Murat. et Salvaius. Siciliae

(7) Murat. et Salvaius. ad incendium

(8) Murat. et Salvaius. ad Pontemfurii

de *Mariginto* (1), praecedens omnes astantes, coram rege, *ymo* (2) quasi alter rex, nam (3) quem damnabat, dampnatus erat, et quem solvebat, solutus erat (4), suspensus fuit pariter ad gibetum (5) in loco altiori, eo quod culpatus fuit, thesaurum regium dissipasse, et etiam Flandrensibus esse propitium. Post haec rex praedictus, suo exercitu congregato, et cum eo erant circa milites decem millia, et peditum maxima quantitas, perrexit super Flandrenses apud *Curtray* (6). Flandrenses exierunt contra eos, et castramentati sunt prope exercitum regis praedicti. Erat tandem fluvium inter ipsos. Dum autem ibi ambo exercitus stant, pluvia inundante, compulsus fuit rex redire, et ibi dimisit currus et vehicula exercitus universa, tentoriis et utensilibus onerata, ex quibus locupletati sunt non modicum Flandrenses, et tunc reversi sunt unusquisque ad propria.

CAPVT XXIX.

De civitate Astensi.

Quum gladiis et armis Astenses cupientes cum marchione Saluciarum fortiter praeliari, et videntes eum qui erant in Colombaria, quidam ex nostris malitiose terruerunt nos dicentes: *furcifer est marchio nobis, et ei resistere non possumus, revertamur ad nostram civitatem, illaesam conservabimus*. Inito consilio unusquisque latis tibiis domum suam reversus est festinanter, et intervallo facto quasi horae unius, Iohannes marchio Montisferrati filius illustrissimi et excellentissimi principis Guillelmi, qui obiit in carceribus Alexandriae, cum exorcio suo peditum et militum, et Manfredus de Saluciis cum multitudine etiam peditum et militum per ianuam sancti Laurentii, sine contradictione, civitatem Astensem intraverunt, et statim cum festinatione irruerunt ad domos Solariorum de Caneto, derobantes ea quae erant in ipsis, et igne posito in eis, praedicti de Solario recesserunt, et inveniunt alios de Solario in platea Sancti Martini desolatos, eadem hora omnes de Solario de civitate, in qua nati fuerant, recesserunt. Hora erat vespere. Per totam noctem laborantes, apulerunt apud portum (7) Albae orto iam sole. Leo, filius *Baudini* (8) de Solario, ascendente portum, prae timore, cum equo et armis cadens in aqua periit. Indistanter alii de Solario navigio transierunt (9), et volentes Albae introire, *Rappe* (10) et Costancii, Albenses, cum armis resistebant contra praedictos de Solario, ne civitatem Albensem intrarent. Oddo marchio de

(1) Murat. et Salvaius. de Mariguelo

(2) Murat. et Salvaius. uno

(3) Murat. et Salvaius. ille

(4) Murat. et Salvaius. et pater solvebat, solutio erat

(5) Murat. et Salvaius. pater a Geberto

(6) Murat. et Salvaius. Curtuariam

(7) Murat. et Salvaius. portam

(8) Murat. et Salvaius. Landurni

(9) Murat. et Salvaius. Aurigam transierunt

(10) Murat. et Salvaius. Kuppe

a Carreto, existens tunc Albensium potestas, contra voluntatem praedictorum, praedictos de Solario introduxit Albae, et eos benigne recepit. Sequenti mense *Rappae* (1) et Constancii, et eorum sequaces expulsi sunt de Alba cum tota sua familia. Quidam ex Astensi populo exeuntes, qui promovebant Solarientes ad malum, vitantes eorum posse, ne cum vicinis (2) eorum starent pacifice, et quia plus dare debebant quam recipere pro hiis, etiam eos secuti sunt Albae, et cum eis steterunt usque ad regressum eorum: et si praedicti exeuntes male egerant ante eorum exitum, pessime fecerunt post adventum eorum, dantes ei in quolibet consilia, et aliena rapientes iniuste, de quibus vere dici potest: *exuriennes impleti sunt bonis, et eorum ventres saturati sunt nimis*; caveant ne illis dicatur: *divitias, quas devorasti evomes*. Oddo marchio de Carreto timens illos de Castello, et ex eorum praecepto relicto regimine Albae, reversus est domum suam. Illi autem de Solario et eorum sequaces steterunt Albae.

CAPVT XXX.

De forensibus Ast stantibus in Cherio.

Thomas et Simon Rotarii, Mucius et Rubeus Asinari, Thomas et *Paulinus* (3) de Troya, *Oddoninus* (4) et Obertinus de Caria, Galvagnus, Iacobinus, Bartholomeus et Petrinus Peylla et Obertus Peylla, Raymondus *Falletus* (5), et plures alii populares, relinquentes Ast voluntarie iverunt stare Cherio, et familiae eorumdem cum equis et armis; et ibi stantes multa mala toto suo posse procuraverunt tenentibus civitatem Astensem. Mutius Asinarius inter alios laborando die noctuque, ventis et pluviis, non cessabat Albam accedere, et Guillelmus de Mombello, ex quorum auxilio tenentes civitatem Astensem expulsi fuerunt, prout inferius narrabo. Hii vero tenentes civitatem Astensem miserunt Cariensibus oratores complures, ut praedictos expellerent de Cario, qui nichil facere voluerunt, sed eos tamquam fratres carissimos habebant. Solarii pro maiori parte stantes in Alba procurabant, nec poterant nocere tenentibus civitatem. Quadam vero die quidam ex illis eques venerunt prope civitatem usque ad Burburem credentes nocere aliquibus. Tenentes autem civitatem, hoc audito, persecuti sunt eos usque apud Albam, et ex eis ceperunt septem, inter quos erat Iacobus de Ponte, et Bastardus filius *Karoli* (6) Cazo, qui carcerati sunt Ast, donec Solarii reversi sunt. Ex hoc autem taliter exterriti sunt Solarii, quod donec Albae steterunt, parum sive paucas offensiones tenentibus civitatem Astensem

(1) Murat. et Salvaius. Kuppe

(2) Murat. et Salvaius. ne concives

(3) Murat. et Salvaius. Polonus

(4) Murat. et Salvaius. Odinus

(5) Cod. Taur. Pelletta

(6) Murat. et Salvaius. Rollae